FOELICIS FACIVTAE
MELPHITANI
PASTORALIA.

Eiuſdem

Diuerſa Poemata.



FLORENTIAE,
In Officina Georgij Mareſcoti.
1576.

FOELICIS FACIUTAE MELPHITANI PASTORALIA.

Paſtoralis prima.

Lycidas, ſiue Ferdinandus Medices Cardinalis.

Mopſus, & Eurydamas.

EST in ſeceſſu paruo qua ſurgit in altum
Oceano ſol luce noua, maria alta recludens
Inſula, qua umbroſæ eſt iniuria facta zacyntho.
Cuius in obiectu inſignem dat vertice portum.
Hac paſtor Mopſus ſcopulo conſederat alto,
In lateres ſeſe qua frangitur vnda reductos,
Et Lygur Eurydamas, doctus ſulcare phaſelo
Aequora, ſeu ſpirant Zephyri, ſeu perſtrepit Eurus;
Expertus mores ventorum, & ſydera cœli.
Fiſcellas doctus iunco contexere Mopſus,
Inter ſerpentes hederas, ſub vertice rupis,
Sic ait. Mop. En erit vt liceat mihi dicere carmen
Eurydamas, Lycidamq. meum extollere factis.
Ante iterum toto exurgat diſcordia mundo,
Inter ſe potius turbato fœdere cœli,
Quòd tellus ſurſum veniat, cœlumq. deorſum.
Ante retro refluat violentis Melphius vndis,
Et pratum herbis, & creſcat ſine frondibus arbos,

Molleat & durum, fiat mel dulce venenum.
Quam magnæ illius noſtro de pectore laudes
Labantur meriti, & ſua ceſſem extollere facta.

Eury. *Et Lycidas quondam noſtro perculſus amore,*
Purpurea indutus clamyde, & fulgentibus oſtris
Sponte ſua, dedit ille mihi pecus omne petenti,
Paſcite dixit oues ſociis, mihi paſce capellas.
Sume armenta boum tibi Tytire, ſume iuuencos.
Incipe Mopſe prior ſtipulas inflare canoras,
Tu doctus ſtipulas inflare, ego dicere verſus.

Mop. *Nunc quoniam gemmis florentibus aurea tellus*
Exornat pratum, floreſq. appingit in hortis,
Et frondes ſyluis, & fruges torrida campis
Fert æſtas, fonteſq. aruorum armenta reuiſunt.
Huc ades o Lycidas, torret dum lampade Phœbus,
Et vetus inſultat noſtro canis æſtifer aruo.
Hic vaſtum turma Dryadum ſpumantibus vndis
Seruatur ſine ſole nemus, dum munera libant
Ante aras, ſuperantq. hircorum ſanguine ripas.
Clangite Pierides, date carmina, dicite laudes.

Eury. *Ver erat, & tepidis fulgebat ſolibus Aether,*
Et terra ob partum veris gauiſa recentem,
Omne genus florum gremio geſtabat, & illos
Vndiq. ſpargebat, teneris induta capillis,
Pingebat nemora, & viridantia prata colore.
Et cœli facies vdos amplexa vapores,
Irriguis terram riuis, & gramine colles,
Et nemora alta comis, & gramina montis alebat.
Allectus Dryadum cuneis, qua Tybridis vndas
Hoſtia concluſo tumidas expectat in alueo.

Auribus accepi (Nereo plaudente) ſorores
Iam canere arguto ſylueſtria numina plectro.
Auribus accipite, quæ ſeptem culmina Nymphæ,
Et colitis Phœbum, deductum ad ſydera carmen.
Carmen Nereidum, conceptum nuper ab antro.
Et ſi me toties Fagorum audiſtis in vmbra,
Cum canerem ad thyaſos, maiora attendite cantu.
Dicite magnificas mea carmina, dicite laudes.

Mop.*Hetruriæ decus æternum redimite galero*
Purpureo, cui quondam animi dedit Arnus honores,
Aethera terriſono quateret dum Iuppiter imbre,
Qua dedit illuſtrem mater te in luminis oras.
Te canimus paſtor, poſitæ precor annue menſæ,
Da mentē, atq. animum, nam mētem, animumq. peruris.
Clangite Pierides, date carmina, dicite laudes.

Eury.*Altius ire libet, veterumq. exempla virorum*
Nota admirari, vt tellus magis æquore ponti
Laude fremat; quid enim Lycidas tibi plenius optem?
Sum memor & generis tanti, virtute quod auget.
Dicite magnificas mea carmina, dicite laudes.

Mop.*Ille meus Lycidas curru celebratus eburno,*
Ac velut extendit ramos terebynthus opacos:
Vndiq. ſic ampli fructus extendit honoris,
Conueniens animo virtus, & nobile pectus.
Clangite Pierides, date carmina, dicite laudes.

Eury.*Te ſicut mirata fuit, mirabitur ætas:*
Carmina teſtantur, comunia ſacra poetis,
Quod caput ad palmam cinctum florente corona
Præſto aderit, paſſim ſcena vt ſpectabitur omni.
Dicite magnificas mea carmina dicite laudes.

Mop. *Ne mirere viros, quoniam ſpectabilis ipſe es,*
Nec germen, quoniam magno eſt tibi ſanguine germen:
Nec vatum ſtudia; horriſonis tibi namq. ſuperna eſt
Virtute egregium comitatum nomen ab armis.
Clangite Pierides, date carmina, dicite laudes.

Eury. *Egregius forma iuuenis, cui captus amore,*
Ambroſiæ ſuccos, ſua munera lætus Apollo
Atq. artes, cytharamq. dabat, cui lingua lepore eſt,
Qua magnum tantis nomen virtutibus æquat.
Dicite magnificas mea carmina, dicite laudes.

Mop. *Sunt laudanda igitur merito tua pectora lacte,*
De quibus excepta aduenit grauitaſq. nitorq.
Et quicquid geſtis de fontibus exit ab hiſdem
Pectoris; ingenium facit officioſa voluntas.
Clangite Pierides; date carmina, dicite laudes.

Eury. *Quis poterit tantæ curſus extendere laudis?*
Non mea lingua valet, nec noſtro in corpore vires
Sufficiunt, negat audaces Dea pectore ſenſus;
Vertere qui varij, & verbis, & voce ſolebant.
Dicite magnificas mea carmina, dicite laudes.

Mop. *Huc ades o Lycidas, linguæ dulcedine mira*
Cuſtodem inſequitur nemorum Saturnia proles,
Si recinam, genus exuperat mea munera veſtrum,
Tuq. pater patriæ poteris committere famæ.
Clangite Pierides, date carmina, dicite laudes.

Eury. *Sola meis calamis tua dat facundia vires,*
Dum cupio Muſas noſtro introducere ludo.
Quicquid ab ingenio, & riuo de paupere manat;
Efficitur diues (magno te numine) flumen.
Dicite magnificas mea carmina, dicite laudes.

Te

Mop. *Te Dea veris amat Chloris pulcherrime paſtor,*
Aſpicies ſitibunda tuos armenta per agros.
Mille meæ ſuperant montes, & paſcua capræ,
Mille meæ paſcuntur oues ad Tybridis vndam.
Clangite Pierides, date carmina, dicite laudes.

Eury. *O vtinam mecum in ſyluis, pratiſq. fuiſſes,*
Cum pecus ad mulctram duxi, vel carpere lanam
Incepi, cantu aſsiduo tua facta canendo.
Fœlices ſyluas, fœlicia prata vocares.
Deſine Mænalium mea tibia dicere carmen.

Mop. *Sit ſatis Eurydamas noſtras inflaſſe cicutas,*
Et Lycidam ceciniſſe modis ad paſcua noſtris,
Et famam, nomenq. ſuum celebraſſe choræis.
Sit ſatis Aonidum dulces luſtraſſe receſſus,
Et quos edocuit nemorum obſeruare Thalia.
Deſine Mænalium mea tibia dicere carmen.

PASTORALIS SECVNDA.

Damon, ſiue Gaſpar Cincius Epiſcopus Melphienſis.

Amilcar.

PIerides Muſæ Thymbræum ornate poetam,
Nam cantu ſolito, paulo meliora canemus;
Nō omnes armenta iuuant, quæ gramina paſcunt;
In mare qua tumidis refluit vetus Albula lymphis.
Altera venturo ſurgit gens aurea ſeclo,
Quæ radio ſubtracta ſuo, illuſtrabit olympum.

Ceu terram Alcinoi, violaq. & Adonidis ignes,
Dum vaga totius vertetur machina cœli.
O vtinam longam ſuperi me ducere vitam,
Fatorumq. velint nuſquam quod poſceret ordo;
Nulla dies memori te Damon tolleret æuo.
Lætitiæ ſeries exurgeret omnibus vna,
Qui montana colunt, te gaudia paſtor haberent
Dulcia, quæ villas paſtorum habitauit agreſtes:
Atq. Æglæ; tenet altiſono quæ flumina cantu.
Ver erit æternum, bis pomis fertilis annus,
Prataq. bis riſum, pleno bis vbere campi
Serta dabunt Muſis, vario detexta colore:
Et noſtro frutices bis iam creſcetis in aruo.
Bis Muſæ metra ad thyaſos, bis roſcida mella
Sponte ſua, immuniſq. dabit per ſe omnia tellus.
Ambroſiæ incipient excurrere flumina dulci,
Lacte fluent paßim fontes, & nectare rupes:
Et tenues lætis reſonabunt cantibus auræ.
Huc ades o Damon, properabunt agmine longo
Nympharum turmæ, dulci plaudente choræa.
Nunc leuis inſpirat genitabilis aura Fauoni,
Prataq. rore tument, ridet quoq. proximus ager;
Floribus ornati, montes lætantur aprici,
Et flumen currit dulci per prata ſuſurro.
Melphiacis noſtri latitabunt rupibus agni,
Et fœtus æſtum vitabunt arbore tecti.
Paſcite oues gramen, veniet ſol cuncta ſerenans,
Et venit, ecce venit, lucemq. annuntiat oſtro
Lucifer, vt dicat, magnum iubar affore veſtrum.
Sol erit illuſtrans Damon ſuperadditus orbi,

Mel-

Melphiacum ad flumen pecudes qui gramine paſcit,
Gaudete o Dryades dulciq. occurrite cantu,
Atq. herbis decorate vias, date lilia Muſæ,
Iam iam aderit, virides ornate tapetibus agros,
Et veſtrum digno cognoſcite numen honore.
Huc ades, vt maius creſcat tibi nomen in hora:
Nunc manibus Nymphæ glomerant Cyanoſq., roſaſq.
Contexuntq. tibi vario de flore coronam.
Huc ades, auxilioq. iuua, plaga lucida cœli eſt.
Sol medium exutus tenebras tenet arduus orbem.
Quæ mora te retinet, placeat tibi lucidus æther,
Et tellus ſolis radio ſuffuſa perenni.
Quo via te ducit, recto nos tramite duxit.
Ne vertas, propera, potes huc properare, videbis
Muneribus certis quicquid tibi ſeruat Amilcar.
Eſt calamis compacta tribus mihi dulcis auena,
Quæ traxit reſonans montes, ſyluaſq., feraſq.;
Et mites fecit Tygres, blandoſq. Leones.
Et fuit optata, ob dulces ad carmina voces.
Si ignarum ſpectas, ſacrum expectabo calorem,
Ardorem hunc noſtris cœli Dij mentibus addunt.
Non ſemper flores campis, nec fontibus humor
Deſit, nec ſemper ſyluas ver pingit ouantes.
Semper Apollo ſui nos afflat numinis aura,
Atq. faces ſæuas noſtro ſub pectore verſat.
Vt rediit vigor ille animi, calor ille fatigans,
Totum agitat, ſeq. inſinuat iam pectore numen.
Tunc non ingenium noſtrum iuuenile pigebit
Laudibus ad cœlum diuinum extollere carmen:
Dum nouus ardentem ſparget ſol arduus ignem.

Quo

Quo cœli faciem percurrat linea filo,
Inſignis qua lege comam telluris inundat,
Vt radiis mare percuſſum reſplenduit ortis.
Cur tremit vnda ſalo, vt ponti ſub marmore Triton
Fluctuat, & Delphin per cærula vaſta pererret,
Et niteant, ſparſis toties vaga littora gemmis.
Quis rerum factor, quo mundum pondere librat,
Et freta quis mouet, & terræ quo clymata tractu,
Atq. æther clauſit, ſeu quo concluſerit æuo,
Edoceam, aſtra ſuper, flammæ vires, laticeſq. coactos;
Regna alia, motuſq. alios, renouataq. Phœbe
Cornua, cœlorumq. vices, varioſq. recurſus:
Et ſyluas, fluuioſq., animas, & ſemina mundi
Et veniet Latias celebratus Daphnis ad oras.
Hæc tibi certa manent, genus hoc tua numina ſentit,
Ad tua Mænalia properabunt carmina Muſæ,
Et fandi mihi mille viæ, mihi mille colores,
Et fandi te mille viæ, te mille colores,
Et variæ cytharæ, & voces, & plectra tenebunt.
Ergo veni o paſtor, tibi totum Helicona recludam:
Vlterius ne necte moras; ex æquore ſurgunt
Muſarum Cunei, & noſtris penetralibus imis
Syluani, Fauniq. omnes, ſub lampade cœli
Oſtendentq. tibi viridi ſub vertice rupis
Plaudentes choreas ſmyrnea ad plectra camænas.
Et primum tribuent tantæ tibi laudis honorem.
Et mea cum paſtor matura aduenerit ætas,
Incipiam argutos Parnaſi aſcendere colles;
Et ſpargent dulci illuſtres te nectare vates.
Tunc alter cœlo Phœbus radiabit aperto,

Mel-

Melle fluent paſſim fontes, & flumina lacte.
Et niueo duræ diſtillent nectare quercus.
Terra ſuos flores, frondes dabit arbor opacas,
Non raſtros tellus, & nec patietur aratrum.
Sed fundent miſtos cunabula baccare ramos.
Nulla erit interdum rapti violentia cœli,
Nullaq. mortifero ſtridebunt turbine bella
Ventorum, nec hyems torquebit grandine terras.
Altera ſuccedet toto indulgentia mundo,
Et paſſim quid ſis in apertum proferet æuum.
Dulcis auena ſile, venit ſol iſte coruſcans,
Totus ſcintillans, radiiſq. vibrantibus ardens.
Sunt mihi magna boum ſtabulis armenta recluſis.
Et pecudes preſſo carpentes vbere frondes.
Alpheſius campos raſtris exercet auitos,
In fæcunda comis vlmus ſua brachia tendit,
At matura ſeges flauis albeſcit ariſtis.
Infuſaq. adſunt ſub ductis ſolibus vmbræ.

PASTORALIS TERTIA.

Daphnis ſiue Sebaſtianus Faciuta.

Tytius.

PErgite, quæ gelidos fontes, & culmina Nymphæ,
Et colitis ſyluas, & dulci flumina curſu:
Ne pigeat, ſummo depellens ſydera cœlo
Fulgentem Oceano patefecit Lucifer ortum.
Veris opes aperit iam formoſiſſimus annus

Nunc

Nunc tegit vmbra altos frondoſo tegmine colles:
Sunt grata campis ſegetes, & montibus herba,
Et fontes terræ vndiuagi, & pomaria ſyluis:
Mitiaq. arboribus mala, & florentia paſsim
Rura ouibus, cecinit quæ carmine pulchra Diocles.
Pergite, & audaci veſtigia tendite greſſu;
Pro quantum Daphni præſentia proderit, an non
Creditis? vnanimes properate, eodemq. tenore
Tendite, ne aſſurgat maior mihi cauſa precandi.
Quæ vos fata tenent? aut quæ vos cauſa moratur?
Nunc paſsim viridi lætantur gramine valles,
Omne ſolum complet late quod iactat odorem,
Et quæ parturiunt viridantia germina plantæ,
Et florum cumulos, non vno palmite gaudent.
Callyrhoe quas vna tenes, quas vna colebas,
Cypria dum feriens pulchro ludebat Adone,
Florida ſuſpectas ducens per prata choreas.
Nunc mare nauigerum rapiunt ſublime carinæ,
Donec iactatæ, proprias referantur ad oras,
Optatoq. exponant profugas in littore gentes.
Nunc mare tranquillum tutas fert æquore merces,
Et fluctus naues ſuperant, rapidaſq. procellas,
Vt venti extollunt vndarum ad ſydera montes.
Tempus adeſt calamis ſpatiantes fallere piſces,
Seu rete intenſa, aut lentis concludere naſsis.
Et tandem incolumem ad littus perducere cymbam.
Non ferit inſanis ſtridens Aquilonibus Auſter
Aeratam in proram, vrgent nec diſcrimina ponti
In latera, aut ſcopulo illiſam, tenet aſpera cautes.
Abreptamq. Nothis, in ſaxa rigentia torquet:
Nec puppim

Nec puppim inuadunt Euri, Cauriq. frementes,
Quæſitas longo rapientes tempore gazas.
Et ſi quando mari iactatur nautica pinus,
Euertuntq; Auſtri turbatos æquore fluctus;
Qui clauum intendit, ne cautibus hæreat, vndam
Præcauet æquoream, puppimq. auertit ab ira,
Cur fugitis Nymphæ? cur non properatis & ipſæ:
Ocia cur fruſtra teritis? ſuccurrite Daphni,
Vos moueat Daphnis pietas ſpectata, labori
Piſcantis cymbæ auxilio ſuccurrite veſtro.
Hic ille eſt Latiis cecinit qui notus in oris,
Irriguas inter valles, ſyluaſq. virentes,
Et fecit medio aligeros deſiſtere curſu
Solis equos, ſummo quamuis deſcenderet axe,
Et venti poſuere, Tygres, tacuere volucres,
Cantantiq. ſuas quisquis iam præbuit aures.
Ad ſua vicinæ properarunt carmina quercus,
Fagorumq. comæ, & ramis viridantibus orni,
Et nemora, & montes poſuiſſe cacumina fertur;
Lunaq. ſpectata eſt cœlo deaurata ſereno
Siſtere, dum noſtras tenuit concentibus aures,
Quale ſolet dulci modulari ad ſtagna caiſtri
Carmen olor, dum fata parant auertere lucem.
Tale dedit plectro Daphnis modulatus eburno.
Dulcia Parnaſſi coleret dum culmina montis.
Hinc vaga Lagæi fodiunt qui rura Canopi,
Caucaſiaſq. ſolent pariter tolerare pruinas,
Atq. venenatas iaculari in bella ſagittas,
Et qui Caſtalios, colit, Afonioſq. receſſus,
Audiuere omnes celebratum ad ſydera nomen.

Nec non exigua contentus noſte Britannus,
Siue truces Libyæ calcantes arua Meduſæ,
Seu myrteta Aſiæ, mulcent quæ auiaria cantu,
Et rigat Eois Ganges aſperrimus vndis,
Auribus intenti acceperunt carmina chordis
Pollice percuſſis, toties ſolatus amores
Pieridum, ſiue ore dabat, ſeu pectine voces.
Hic fuit inſpectus Belgis, quos alluit vndis
Oceanus, notuſq. tuis Permeſſides vrnis.
Hunc etiam nutriens Diuûm Florentia mater,
Sole magis dilecta Ioui, bene culta, tenendum
Certaſti, vt plectro Muſas placaret agreſtes.
Quid natam lachrymans ſurgentem incornua dicat
Inachus? & vitrea gaudens Sebethide lympha?
Quid Rex Eridanus? vrnæq. binominis iſtri?
Et Lygurum extrema quod ſeparat Alpibus arua?
Et refluens tacite per pinguia culta Maricæ?
Atq. Hebrus Calliope inuiſus? ſeu Phocidis oræ?
Quaq. ambit Latium, & tractus complectitur Indi,
Quodq. mare Heſperiam ſupra circumfluit omnem,
Vndifragoq. æſtu, qua ſe intra anguſta coercet
Limina, & effundens rapido fluit æquore ab alto.
Teſtantur cunctas tua fama vagaſſe per oras.
Quid memorem Dryades, quæ te cinxere corona?
Pierideſq. Deas? montanaq. numina, Panes?
Terrarumq. ſuis moderantem legibus orbem?
Eloquij fulmen, Latiæ ſpes vnica linguæ,
Horrida dum caneres crudeli prælia Marte.
Cum cœli audaces tentarunt regna Gigantes,
Abruptoq. ſupra poſuerunt Pelion Oſſa.

Et

Et quem Laomedonteis Regina volucrum
Vnguibus abreptum ad Regem perduxit ab oris.
Et quæ voce dedit tenui; qua pulcher Apollo
Cadmæam eximiis fabricabat verſibus arcem.
Hic traxit numeris Rodopeia ſaxa canoris,
Et cythara pulſans Meandrum imitatus olorem,
Fatales potuit. Barathri prorumpere leges.
Hunc vos o Nymphæ irriguis aluiſtis in antris,
Dum fuit æthereas vtero ſuſceptus in auras.
Hunc gremio infantem caſtæ excepere ſorores
Naiades, & ſtudiis paßim excoluere, docentes
Aonidum egregios ſuccos, & Apollinis artes.
Eloquiiq. æſtu naturæ arcana latentis.
Ac primum terræ, atq. alti primordia cœli.
Et tractus, oraſq omnes, ſpatioſaq. tecta
Metiri, pelagiq. arua, aſtrorumq. latebras.
It longam occiduo ducunt quæ tramite metam,
Feſtinantq. alto ſe tingere ſydera ponto,
Tempore cæruleis, quo ſol ſe mergit in agris.
Et quæ ſigniferi faciem, conuexaq. circum
Vertuntur, nec iter flectunt, nec lumina cælant.
Conficiunt donec flammis radiantibus orbes.
Naturamq. habeant ſolidam, variiſq. ferantur
Motibus, obliqui ſuperantes tramitis oras.
Ignibus æthereis circumuoluentibus, alte
Qua vertex ſurgit, & qua deſcendit ad ima:
Aſſequiturq. ſuos perpulchro carmine fines.
Quis Phœbi labor, & queis luna ambagibus errat.
Vertice quod culmen tangat, ſubuecta quadrigis,
Dum Phlegethonteos, variis induta figuris

Deſcenſu

Deſcenſus adit, & gelidas ſe extollit ad Arctos:
Sydera Pellæi inuadens fœcunda Canopi
Noctiuagans, donec cœleſtes expleat orbes.
Et ſeſe interdum aſpiciunt vaga lumina vultu,
Et quibus inter ſe numeris in fœdera iungant,
Curriculiſq. fluant æquali sydera motu,
Et quæ diuerſo, tardos comitantia greſſus.
Et tandem quæ ſint tantæ primordia molis,
Quæ mundi forma, & quæ ſemina deniq. rerum,
Agmina quæ Diuûm, & quæ ſint errantia ſigna:
Dicendi vbertate ingenti hic carmina dixit.
Nam didicere omnes ducentes agmina Nymphæ
Aonides, tetigit dulces poſtquam Aetheris oras.
Et maiora agreſſus laudis perculſus amore,
Miranda auditu terrarum protulit orbi.
Cum caneret nitido diffuſum lumine cœlum,
Et quæ circumagitans alieno lampade fulget.
Cum mundi Rector cunctarum ſemina rerum
Ex nihilo in lucem produxit imagine recti.
Tunc mundi moles ſe vertere cepit in orbes,
Admirata opus æternis de fontibus Aethra:
Miratumq. mare Oceano conſurgere ſolem,
Qui tempus paribus numeris diſtingueret omne:
Miratuſq. aer libratum pondere mundum,
Ordine & inſigni fulgentia sydera circum;
Mirata eſt tellus lætis pubeſcere plantis
Et ferre herbiferos hortenſia germina campos:
Atq. peregrinos etiam nemora ardua fœtus,
Partus ob varios, indutaq. tegmine florum,
Luminibuſq.; implent venti dum carbaſa pennis
Ducere

Ducere ſe rigida pretioſas arbore gemmas.
Montibus atque altis mirata Vireſcere colles,
Et Vitreos labi per prata Vberrima riuos.
Et pecudum omne genus placidos errare per agros,
Et Volucres læto complentes aera cantu.
Mirata eſt apros pharetra captare Mineruam,
Alituumq. gregem, & Damas præuertere curſu:
Deniq. & aruorum cultus, ſeu Vomere gleba
Scindenda, aut raſtris ſeiuncto Vinea ſulco:
Roris & atherei diſtenctas nectare cellas,
Munere apum, cœli ſeruato tempore, & Vſu.
Sparſaq. fœcundis humentia ſemina terris,
Et dare multiplici ramoſos Vbere fœtus.
Cum ſurrexiſſet noſtro gens aurea ſeclo:.
Et ſceptro aſtaret Saturni nobile regnum,
Imperij decus, quo non præſtantius Vllum
Nobiliuſq. oriens Phœbus ſpectauit ab alto.
Hæc Dryadum in gremio Tytius dum Voce referret,
Omnis ager ſiluit, tacitæ ſiluere Volucres.
Et Vaga compreſſis requierunt flumina lymphis.
Grataq. ſuffulſit auratis gloria pennis,
Auratum referens cunctis mortalibus æuum,
Quos alit ambroſia Zephyri genitabilis aura.

PASTORALIS QVARTA.

Thais ſiue Iulia Molaris.

Amilcon.

IN mare qua refluens expanſis cornibus intrat
Albula, cum medias ſol continet arduus oras,
Et cœli ſpatium certis examinat horis.
Ducebat pecudes Thaidi deſpectus Amilcon,
Seu canit argutæ carmen ſub margine ripæ,
Seu canit ad Thyaſos noſtra ludente Neæra;
Qua biforem reſonat Corydonis Tibia cantum.
Seu canit æquali voluentia ſydera curſu,
Lunareſq. obitus, hyadaſq. & plauſtra Bootæ,
Aeris aut campos; ſeu vaſti marmora ponti,
Quem madidis pater hybernus complexibus ambit,
Et terræ ſoluunt amnes de more tributum,
Diuinos Aethræ cantus æquare videres.
Quem ſi proſpicies cum ſol delabitur vndis
Sedibus e ſuperis, ſua ludere carmina Phœbo:
Orphæus in ſyluis, & noſtra ad paſcua Damon,
Iudice te Thais, dicent ſe carmine victos,
Thais ades, tecum venient in carmina Nymphæ,
Nymphæ Pierides, animo perpende ſereno,
Quæ canit interdum Nymphis comitatus Amilcon;
Exarſus tenues demulcens cantibus auras.
Dum meditor tenui ſylueſtria carmina ludo,
Aethera diſquirens, hyadaſq. madentibus alis.

Nil

Nil fallit, nil me fallit nymboſus orion.
Seu causis rerum, ſtudiis ſeu verſor honeſtis,
Siue iuuat dulces Nympharum haurire liquores;
Nuſquam me ſtudium, nuſquam me Muſa fefellit.
Huc ades o formoſa Thais tibi carmina plectro
Mænalio polientur, opus mea Muſa loquetur
Poſterius grauibuſq. modis, mea tempora fructus
Securoſq. dabunt, ſummi Iouis aurea proles,
Et noſtri Princeps, & carminis auctor Apollo,
Dux erit, & fauctor, Dryadum pernice choraa.
Ducite Pierides, Dryades mihi ducite Thain.
Si venies iactent omnes ad sydera vocem,
Ac patrio de more canent tua maxima facta,
Atq. tuum immortale omnes per ſecula nomen.
Quadrupedum, volucrumq. genus, syluaq. virentes,
Ipſi dent montes, ipſæ & dent carmina valles,
Ducite terra fretum pulchram mihi, ducite Thain.
Omnia iungit amor, pharetraq. amor omnia verſat,
Omnia cui cedunt, amor eſt mihi ſæpe poteſtas
Magnus in imperio, & quem non hic vicit inermis?
Et me vincit amor, cui cede decore remiſſo
Nil amor ipſe valet pulcher, niſi pulcher ametur.
Ducite Pierides, Dryades mihi ducite Thain.
O formoſa Thais noſtri miſerere, preceſq.
Audi, namq. tuo voto ſuccumbimus vni.
Hoc pecus omne meum eſt, poteris pecus omne videre,
Quod mea sylua tegit, noſtriſq. in montibus errant.
Sunt caprei, & lepores, tibi quos ſeruare procuro.
Ducite terra, fretum pulchram mihi, ducite Thain,
Vita mihi Thais es, noſtris ſpes vnica Muſis,

Vera Iouis proles pulchri, pulcherrima & ipſa,
Te vror amore nouo, flammæq. mouentur, & aucta
Quid faciam? tenues vellem tunc ire cruores.
Nam me mœſta fouebis, eris vel pectora mulcens,
Magna renidenti cohibens ſuſpiria vultu,
Ducite Pierides, Dryades mihi ducite Thain.
Pulchra Thais vario florentia ſerta colore
Pierides geſtant calathis, & pruna puellæ,
Et violas, floreſq. alios, his gloria formæ
Nec Narciſſus abeſt, qui ſeipſum exarſit amore:
Nec roſa quæ tribuit creſcens rubicunda decorem.
Ducite terra, fretum pulchram mihi, ducite Thain.
Es dura heu nimium vincens feritate Phylacem,
Et vindex, noſtrumq. libens contemnis amorem:
Tu pulchra, atq. animi præſtans, formoſior hortis.
Quos vagus Auroræ ſtillantibus irrigat imber,
Imber aquæ, vapor vt ſuperas aſcendit in oras.
Tu Thais æterna, excelſa procerior Alno,
Floridior prato, atq. æſtiua gratior vmbra.
Lucidior gelidis, quas fundit Aquarius vndis,
Et niue candidior, vincens in odore liguſtra.
Huc ades, ad metra exoritur tua fama perennis,
Mirificis celebrata modis, tu numine tandem
E tantis meritis numeris illabere noſtris.
Nam mecum poteris (Phœbo duce) ludere, tanta eſt
Quæ tua perpetuos memoratur vita per annos.
Ducite Pierides, Dryades mihi ducite Thain.
Innoua diſſoluent vates tibi carmina linguas,
Nais myrtos, Nais lauros, & dabit omnia Nais,
Dum recinet Nais, magno tu carmine carmen,

Et dabis ore loqui, & carmina ſacra mouere,
Et tanto cœli denſentur, & æthera cantu.
Ducite terra, fretum pulchram mihi, ducite Thain.
Dicite vos Muſæ, meritas quis dicere laudes
Poßit? quis decus eximium? quis deniq. honores?
Ante equidem dicam radiantia ſydera cœli,
Et pelagi piſces, & habentia littora harenas.
Quam valeam virtutis onus, laudeſq. referre.
Ducite Pierides, Dryades mihi ducite Thain.
Semidei, Satyri, ſylueſtria numina, Fauni,
Syluaniq. ſenes, Dryades, & Oreades ipſæ,
Nympharum omne genus, terræ quod detinet orbis,
Aßiduo reſonent cantu, eſt vigor omnis in illis
Laudis, vt hæc totum tua gloria compleat orbem
Ducite terra, fretum pulchram mihi, ducite Thain.
Heu fruſtra dilecta Thais de pectore carmen
Deduxi, & cantu tibi fit deſpectus Amilcon.
Heu miſerum quæ te dementia cepit Amilcon?
Paſcite vos pecudes pueri, & vos paſcite gramen
Florigerum pecudes, ſpirant dum flabra Fauoni.
Interea Corydon Platani requieſce ſub vmbra:
Dum nemus, & ſyluas, & glauci denſa ſalicti
Pabula ſuſpirans, latebraſq. adituſq. ferarum,
Et peragro campos, & compita læta pererro.
Quo propero demens? quis me furor impulit ardens?
Cui metuens armenta boum paſcenda relinquo?
Cui pecudes? linquentur oues? pecus omne peribit?
Heu caſu noſtræ ſic res voluuntur iniquo.
Heu pecus infelix, Corydon dum maxima curat
Ocia, te nuſquam paſcendum ad pabula ducet,

Nam ſocij rem curat iners, viuitq. beate
Ipſe ſibi, hoc triſtes animo diſcedite curæ,
Aufugite ex animo, & dum pectoris exit ab antro
Officioſus amor, pereat pecus omne, per agros
Inueniat paſſim Tygres, atq. ora leonum
Da mihi te Thais, ſine te mihi nulla voluptas,
Nulla quies, nullumq. decus, nulluſq. medelæ
Ardoriſq. modus, nulla eſt mihi flamma ſuburgens.
Ducite Pierides, Dryades mihi ducite Thain.
Huc ades o Thais, & noſtras ne deſpice Muſas;
Numina nam cælo Muſæ concentibus æquant,
Diuitiis ne crede tuis, nec crede decori,
Omnia mutantur, ſecli redeuntibus annis,
Qui nuſquam poſſunt vlla ratione videri:
Eſt nihil æternum, cuncta hæc ſub ſole ſeneſcunt.
Nulla poteſt acies frontis tam pulchra tueri,
Vt non mutetur vicibus per ſecula certis.
Ferreus herbifero decreſcit vomer in aruo,
Annulus indigito reuolutus mancat eburno,
Natura ornatum, inſtabilem fert forma figuram.
Strata etiam pedibus detrita in tempore certo
Conſpicimus minui, & nos omnes carpimus auras.
Vtere vere tuo, noſtroq. fruamur amore,
Tempus enim fugit, atq. idem manet exitus omnes.
Ducite terra, fretum pulchram mihi, ducite Thain,
Heu ſurdos habeo Diuos, & ſydera cœli,
Et mea ſucceñſus ſenſim calor oſſa perurit:
Heu fera duritie ſuperant tua pectora ferrum,
Te pietas non vlla tenet, tibi nulla doloris
Cura mei, impexi an ſordent in fronte capilli,

Mem-

Membraq. duritie, & duris circundata villis,
Reſpice, quid valeant picto ſine vellere capræ,
Et niſi dent pecudes maculoſo pectore lanam.
Oraq. ſi ſpectes, iam iam me in fonte lauaui,
Et vidi me totus eram (me iudice) pulcher.
Pendebant humeris imitantes ſydera crines,
Et dentes parium vincebant marmur, eburq.
Et candore genas, ornabat barba figuram
Hyrta meam, totum vidi (me iudice) pulchrum.
Huc ades, & mecum Thais requieſce parumper,
Qua tenues ſpirant auræ, qua ſylua vireſcit.
Et vulpes qua ludendo per gramina currunt.
Ecce feram patulo ſeptem tibi mala caniſtro,
Sertaq. flexibili, & vario intertexta corymbo,
Excuſſoſq. hodie tenera lanugine fructus.
Poma decem, totidemq. nuces, & cærea pruna,
Et teneras vuas, & mora interfixa geniſtam.
Seruo gemelliperas niueis tibi pellibus agnas,
Quas ſi bis roſeis manibus mulgebis in horas,
Bis vna in luce, ſemper plena vbera tanges.
Quem fugis? an quondam pecudes non pauit Apollo?
An pecudes non duxit amor fœcunda per arua?
An Venerem Mauors errantem in montibus Idæ
Non flexit? non Pana Deam? non phyllida Thyrſis?
Paſtor vterq. fuit, paſtor quoq. Iuppiter Heros.
Incaluit Pana, & ſenſit ſub corde ſagittas,
Et vagus Amphion errauit amoribus ardens.
Nec me exhorret amor, nec me latet vnda perurens.
Noſco quid ſit amor, hyrcanis ortus in antris,
Noſco Deum, & quam ſit miſero crudelis amanti.

Ille ego non ſum, heu dulces in amore dolores.
Sic iuuat hac terra longum perferre laborem?
Tempora ſic paßim properantes ducitis horas?
Sic fugitis dulces horis currentibus anni?
Sic mea vita fugis? ſic me feruoribus angis?
Sic mea mens rapitur? ſic mens infirma vacillat:
Quid faciam? hac rupe exurgam, pecudeſq. per arua,
Et ducam errantes noſtra ad præſepia tauros.
Namq. venenoſam proſpecto in ſepibus anguem.

PASTORALIS QVINTA.

Alpheſius, ſiue Princeps Andræas Dhoria.

Corydon, & Amyntas.

ABiectis ouibus Corydon, & pulcher Amyntas,
Se dederant fluuio, captantes murmura riui,
Paſtores ambo mulcebant æthera cantu
Tybridis in ripa, qua formoſißimus Alcon
Imminerat, texens lentis vmbracula ramis.
Dicite vos carmen, quæ ducitis ocia Muſæ,
Et teneros colitis herbis florentibus hortos;
Dum tenues perflant criſpata per æquora venti,
Alpheſio aptantes vario de flore corollas,
Annuite, & mecum ſociæ properate per antra,
Et virides hortos, durumq. oſtendite callem.
Dicite quæ veſtras habuerunt carmina mentes,
Vt vidit Corydon paruo ſucceſſus in antro,
Ducentem pecudes paſtorem ad paſcua Amyntam.

O pla-

Cor. *O placeat, libeatq. meo cum Daphnide rura*
Paſtorum incrementum ingens, dum Mopſus & Alcon
Grata ſub vmbroſis meditantur carmina ſyluis,
Aſpicere, & mecum irriguis in vallibus eſſe.
O placeant valles, Nympharum munera valles,
O placeant fontes quondam quos Daphnis amabat;
O placeant prata, o placeant tibi pulcher Amyntas
Carmina, quæ quondam aſpexi te in valle Phylelmi
Paſtores inter noſtros, componere plauſu.

Amy. *Durus vterq. labor canere, & bene condere, vis ne*
Inter nos quæ ſit ſuaui experientia cantu
Interdum alterni noſtro cum Alcone videre?
Depono hoc velum, velo hoc pro pignore certo.
Hic opus eſt ſculptum: Archimedes, qui pondere mundũ,
Conuexoq. omnem deſcripſit turbine cœlum:
Et cœli auratas ſedes, his Iſmarus Orphæus
Et nemorum fœtus, volucreſq. Lareſq. ſequentes
Hic cœlum auratum, & Phœbus qui ex æquore currus
Extrahit aligeros, radiat quo gramine campus,
Vndiq. quem flumen circundat odore flagranti
Criſtalli liquidum, & currens, facit vndiq. riuos.
Hic tonat ore pater, mittitq. ex Aethere flammas,
Et geminat ventos, ſedet hic nouus alter Apollo,
Qui Teucros vexit vaſti per marmora ponti;
Et longa ex imo ſuſpiria pectore ducit
Aeglæ vicinæ, & molitur carmine curas.
Et Nympham, & vatem poteris ſpectare videndo,
Nam veram, propriamq. dedit natura figuram.
Tantum eſt ingenium Nymphæ, quæ bella Gigantum
Pinxit acu, & croceo Diuos cælauit amictu,

Qui

Qui nemora alta colunt, ſed rupe ſub alta
Ludentes inter Faunos, Tymbræus Apollo
Naturæ admiratur opus, placidoſq. locorum
Aptatos in fontes ſitus, turba altera Diuûm
Dum admirantur ſyluas, Vndamq. fluentem;
Cæruleos facit Vnda Deos: quis talia Vates
Diuino ingenio indutus deſcribere poſſet?
Hic herbis campus Variis floreſcit, & hortos
Collocat Vnda tuos, tu fons Vberrime fructus
Conſeruás, Phœbus micans te illuminat omnem.
Circundantq. tuas Viridantia gramina ripas,
Dum radiis ſol auratis illuſtrat olympum,
Accedens propius ignita ad cornua Tauri.
Arno tu fuluo renites, Viridiq. ſmaragdo,
Montibus Eöis ſimilis, Tagus Alter harenis;
Perſarumq. tuo radiant in gurgite Concha,
Et tua purpureis fælix rubet Vnda corallis.
O fons illuſtris criſtallo mundior, omni
Lucidior Vitro, & glaciali frigidus imbre.
Te gelidæ admirantur aquæ, te turba cohortis
Diuinæ nuſquam Viſu ſatiata receßit.
Te cantant Volucres, te hoc ipſo in littore piſces,
Te memorant raucæ ſuper alta arbuſta cicadæ,
Syluestreſq. feræ, recinunt te in fonte columbæ.
Te canit aerias dulcis Philomela per auras,
Et te conſiderans Merulus ſub fronde Cupreßi,
Aptato Varius modulatur gutture Voces.
Alpheſij nomen per paſcua læta Volucres
Ore ferunt dulci, referuntq. ad carmina fines
Paſtores, formamq. canunt, nam magna per orbem

Gloria

Gloria diffuſa eſt horti, fontiſq., lociq.
Fertilis; hic vates meditantur arundine carmen,
Et terræ memorant tractus, pelagiq. meatus,
Et ventos, fluuioſq. mare, & genus omne natantum.
Vnde imber, nebulæ, volucreſq., homineſq., Deiq.:
Vnde tonat genitor rerum, vnde hæc fulmina mittat,
Et qui menſuras terræ, & quis fila tetendit,
Qua ſphæras cœli, qua sydera lege gubernat.
Quis dedit huic mundo baſes, quis pondera ventis,
Et qui telluri ſulcos, & ſemina, tractus.
Hic canit obliquos ſolis, lunæq. recurſus,
Lucenteſq. globos cœli, numeriſq. ligata
Semina terrarum, rerumq. ab origine cauſas.
O amor o virtus o tantæ cura puellæ,
Cor. *Et mea largita eſt vario mihi Nympha colore*
Cœlatum velum Alcimedon, qui pinxit acantho
Pocula Damætæ, nunquid minus aurea pono?
Hic Nymphas paſtor ſtipulis meditatur agreſtes,
Quas ſupra eſt vitis fœtu ſuperaddita pallens,
Vnde expellit aues ſuperantes aſtra volatu.
Nec procul à Nymphis pueri, qui armenta per agros
Educunt, cantu meditantes nobile carmen.
Syluarum vulpis exire aſtuta latebris
Inſpicitur, qua raſtra mouent curuata coloni,
Et peram verſus ſerpendo pergere, longe
Si forte aſpicias artes, hæc illa ſuperſtes
Naturalis erit, paßim ſub rupe recenti.
Paſtores alij captantes frigus opacum,
Certatim cantant ſylueſtria numina verſu,
Carminibuſq. Deos patriis qui nouit agreſtes

Pierideſq. Deas, Faunos ſub rupe canentes,
Panaq., Syluanumq. Deum, choreiſq. vacantes,
Aſpicit Aonio deducere vertice lauros.
Alpheſiiq. domus atauí celebrantur auorum,
Dum Dryades centum & ſeruantes flumina centum
Decantant, quondam vt fertur Terpander eburnam
Sub Platano tetigiſſe lyram ſub montibus ipſis,
Et ſecum traxiſſe nemus, mulxiſſe leænam.
Præclari fontes fœlicia prata rigantes,
Fœlices vmbræ, ſed tu fœlicior ætas,
Quæ gaudes Myrto, & viridi lætiſsima Lauro,
Alpheſio ergo omnes magnum referamus honorem,
Qui ſteriles fixit dumoſis montibus ornos,
Et ſalices fluuiis, Alnoſq. paludibus altos,
Ver facit aſsiduum bis pomis fertilis annus,
Bis pratum ridet, pleno bis vbere capræ
Parturiunt fœtus, bis dat ſua cynnama tellus.
Fluminaq. & fontes currunt bis nectare dulci,
Bis creſcunt herbæ, frutices bis creſcitis ipſi.
Fœlices syluæ, fœlicia paſcua, dumæ
Illuſtres, magno Diuûm plaudente Senatu.
Sed dum animi vires carpunt, vruntq. videndo;
Paſcitur interea formoſa iuuenca per herbas.
Dum Dryades ludunt, dum pectora mulcet Apollo,
Dum choreas fonte hoc exercent agmine Nimphæ,
Syluarum Nymphis Dij omnes miſcentur, & ignes
Igne pari accendunt, operis labor omnibus vnus.
Iuppiter antiquos cum coniuge ſeruat amores,
Herſeq. Mercurius gaudet, cum Pallade Phœbus
Lætatur, Venus ac iterum cum Marte recumbit.

Quis

Quis narrare alia, ſeu quis deſcribere poſſet
Naturæ ludentis opus mirabile penna?
O amor o virtus, o tanta cura puellæ.

Alc. *Clangite paſtores, molli reſidebimus aruo,*
Metra alternatim, Muſis alterna placebunt.
Sponte ſua venient Alni, lentæq. geniſtæ,
Et syler, & frutices, fonteſq., lacuſq. videbo
Murmure lætari in ripis, & ludere Faunos.
Nunc arua arrident, noua vere repullulat arbos,
Parturiunt syluæ, & vitreis de fontibus undæ
Emanant, celeri ſuperantes gramina curſu.
Incipe tu Corydon ſuaues effundere cantus,
Poſteriuſq. ſequens nuſquam tibi cedet Amyntas.

Cor. *Quicquid Parnaßi de gurgite Muſa recepit,*
Quicquid Apollineo meditatur Muſa boatu,
Carmina ſola canit, didicit nam carmina Clio.
Et mea metra canam, ſi me meus implet Apollo.

Amy. *Quicquid Calliope cantas teſtudine eburnea,*
Carmina ſola Canis, cantu deducta canoro.
Solaq. tu ambroſios, ſuaueſq. haurire liquores
Mœnalios potes. & mecum luſtrare receſſus.

Cor. *Iuppiter eſt vbicunq. creans, vbicunq. mouetur,*
Quodcunq. aſpicio, eſt magni Iouis omne repletum,
Ipſe colit terras, ipſe autumnalia corna,
Et paſcit pecudes herbis, & lacte gemellos.

Amy. *Et radiis vbicunq. ſuis ſua lumina Phœbus*
Immittit, croceos tollens ex æquore currus.
Ipſe meos agros colit, atque vberrima poma,
Et facit hyrſutas, ducit quas campus ariſtas.

Cor. *Clarus in offenſo Titan fulgore repletur,*

Nun-

Nuntia lucis adeſt pulchro ſuffuſa nitore;
Huc ades o Phyllis, ſyluam ſpectabis, & arua;
Nam nectunt varias de floribus illa coronas.

Amy. *Proſpera ab Oceano rubris Aurora quadrigis*
Exurgit, medium retinens qua verberat æquor.
Delia pulchra veni, decorantur floribus agri,
Aurea ſerta geres roſeo depicta colore.

Cor. *Sunt mihi quæ neſcis de altis pendentia ramis*
Poma decem, & multis pendentes vitibus vuæ.
Sunt & purpureæ, calathis liuentia noſtris
Pruna, leges manibus auratum imitantia ſuccum.

Amy. *Et mihi caſtaneæ, & tenera lanugine mala*
Arboribus noſtris, & mollia fraga caniſtris.
Et pyra, quæ patior pendere grauantia ramos,
Et fœtus dabit electos tibi qualibet arbor.

Cor. *Non ſum adeo pauper, & vultu informis, vt Anthas,*
Namq. ego me nuper, me nuper imagine vidi,
Cum Tybridi aſtaret placabilis vnda, refulgens
Qualis erat, placuit talis mihi forma videnti,

Amy. *Nec ſum adeo de ſtyrpe humili, quin lactis abundans,*
Eſt adeo ſeptem calamis mihi fiſtula dulcis,
Quæ ſua cum emittit paſtoria ſibila, certe
Spectantur pecudes nullo cuſtode ſequentes.

Cor. *Dic quando aſsiduo implebis mea vota precatu?*
Euentus rarus, rara experientia fertur,
Ardua temperies, & rerum viſio longa,
Orbis terrarum veteri ſpectatur ab vſu.

Amy. *Quando erit illa dies vitæ mihi finis amaræ,*
Dic quando votis ſuccumbes Delia noſtris.
Omnia tempus edax conſumit, & omnia nutu

Ver-

Vertuntur, noſq. vna morte quieſcimus omnes.

Cor. *Iuppiter in terris pulchram te Phyllis honorat,*
Quicquid amas dedit ille tibi, ſeruare decorem
Expoſuit faciem, dic cur crudelis amanti?
Dic cur crudelis, ſi nectare tincta refulges?

Amy. *Vltro ſe exponens imis mea flamma medullis,*
Oſcula chara fugit, ludit dum iraſcor, & arte
Tum pariter lachrymat, pariter dulcedine ridet.
Dic cur inſtimulis me Delia melle redundans?

Cor. *Ille ego ſum diues, poteris ſpectare per herbas*
Errantes pecudes, & capras valle morantes.
Et quas ſylua tegit, mihi dantes vbere mulctram
Spumoſam, quas Phryſſa die bis mulget in vna.

Amy. *Sunt mihi magna ſatis ſyluarum armenta latebris*
Sola boum, præſens poteris numerare ſub vmbra,
Et pecudes grauidæ vberibus ſtabulantur in antris,
Quæ mihi dant preſſis liquefacta coagula mammis.

Cor. *Cæſarie Phyllis fulua, ceu ſtella coruſcas,*
Qualis & aurato Leucoia flore per agros,
Talis apud Nymphas, Phœbi tu lumine Phyllis
Splendidior, teneriſq. meis laſciuior hædis

Amy. *Syderea Phœbe mea temperat omnia luce,*
Iuppiter exponens, ſplendes tu luce coruſca,
Nobilior luna, & cœli conſpectior aſtris,
Mollior & maluis rubris, & pulchrior albis.

Cor. *Da mihi te Phyllis ſpirat meus ignis, & extra*
Da mihi te Phyllis reſonabilis aſſonat Echo,
Cur ſurda es Phyllis, me cur ardoribus angis?
Quis mihi te optatam extremis poſuere rebellem?

Amy. *Eſt potius mutanda dies, potius mutanda iuuencis*

Eſt

Eſt natura meis, mutet quam Delia votum.
Aſpice nam Oceano cupiunt ſe tingere ſoles,
Reſpice villarum fumantia culmina, noſtris
Noctis iter ceptum veſper denuntiat oris.
Et me turbat amor: quis enim arcet amoris habenas?
Tempus adeſt noſtris coniungere vitibus vlmos,
Et colere arua iugo, quorum tuus indiget vſus.
Deſine Pierios mea Tibia dicere verſus.

Alc. *Deſine iam Corydon, namq. imperterrita virgo eſt,*
Indignum eſt cantus non æquo ſoluere iure:
Ambo laude pares digni, vos diligit ambos
Qui docet ardentis canere incunabula mundi,
Claudite Muſarum ductos de pectore riuos.

PASTORALIS SEXTA.

Melagar, ſiue Auguſtinus Rondonus Baro terræ Abellæ.

Mopſus.

NOX erat, & tenebras toto diffunderat orbi,
Abſtuleratq. diem nobis; caligine merſa,
Omniaq. inuoluens circumuolitauerat vmbra
Obſcura, terramq. ſuis obduxerat alis.
Ventorumq. alto erumpebant agmina ponto,
Immenſum horriſono populantes turbine cœlum;
Cum ſol Aethiopum ſeſe conuertit ad oras.
Lux fugerat, brumaq. dies ſata culta premebant,
Et nemorum late areſcebant pulchra vireta:

De-

Depoſitæq. comam ſyluæ ſub monte bicorni
Mœrebant, triſteſq. aſtabant Vndiq. Nymphæ:
Atq. Vrbes glacialis hyems ſine more tegebat.
Nunc quia Veniſti Melagar redimite corona,
Qua ludos miſcet Latij per compita Nais.
Optatas Phœbus luces, animoſq. reduxit
Lætitia pingues, curuati ad brachia Cancri
Aſcendens, niuei per lucida tela diei.
Ac mare placatur, Ventiq. teguntur in antro
Aeolio, arcteq. inuinclis ſtringuntur iniquis.
Cedit hyems, currumq. trahit Patareus Apollo,
Lux redit, inuiſas ponit nox atra tenebras;
Gaudia fert tellus, glacies exuta niuales,
Frondeſcunt syluæ, percurrunt flumina Valles,
Et lætæ irrigua redeunt ad ſtagna ſorores.
Expectatus adeſt Melagar, gaudete ſorores
Humida quæ colitis regna, atq. optata fluenta;
Qua currit Vitreis per paſcua Melphius Vndis.
Vatibus Heſperiæ, & Vobis gratiſſimus amnis.
Feſtinate parum, quæ Vos tam ſera moratur
Segnities? fœlix illuſtrat Lucifer orbem;
Phœbus adeſt, lumenq. refert, tenebraſq. reſoluit,
Excitat atque animos, curſu dum fertur amano.
Vos Diuûm genus inuiſum fulgore coruſco;
Vos cœli sydus deductum ex æthere ſummo;
Clangite, & immenſum laudis percurrite campum.
Exoptatus adeſt, ſuperans candore liguſtra,
Diſcite Pegaſides Verſus cantare ſonoros;
Nam Venit, quem præſidio affectaſſe locuntur,
Qua ſol percurrit ſignum memorabile Tauri.

Iam redit, & ſecum virides rediere corollæ,
Intexunt quas gemmiferi ſylueſtria ruris
Numina; Pegaſeis Nymphis ſpes vna futuris.
Cingite Paſtorem lauro, quem ſæpe vocabat
Syluarum cultrix, nemorumq. Thoantia cuſtos,
Expectans reditum, ornatu circundata miro
Virgo pudica tuum, & niueo ſuffuſa rubore,
Vt nemorum daret, & denſæ tibi præmia ſyluæ.
Vellere, & æthereo tractant quo pectine ſeres
Contextam clamydem Phote diſtinxit, & auro
Perpulchre intexens clariſſima facta Aretuſæ,
Gemmarum diſtincta opere, atque ornata ſmaragdis,
Et nimio lapidum fulgore micantia circum.
Tunc cytharæ aſſurgent, quas non coluere priores,
Nympharumq. choros celebrata inſepta receptes.
Plectraq. Thymbræi, tuta ſtatione petenda,
Complebunt melico ſylueſtria prata ſuſurro.
Curſibus aſſurgent amnes maioribus aucti,
Et lymphis noſtra arua ſecans placabile flumen,
Extollet caput haud glauca ſine fronde reuinctum.
Aſpicietq. Deas carpentes vellera fuſis
Pollice verſatis, dulceſq. per arua puellas.
Et Daphnis trahet ad numeros rutilantia cœli
Sydera, cauteſq., & rigidis de montibus Alnos.
Inferniq. ſuum penetrabit ad intima carmen,
Quod poterit Ditem, & ſtygios mulcere Tyrannos,
Sponte ſua, atq. ipſos curſu præuertere riuos.
Currereq. vndiuagum Nerei per cærula Delphin,
Vertere & indomitos Lybiæ ad ſua vota iuuencos.
Hic ille eſt, cytharæ tetigit qui fila canora,

Quo modulante habuit ſua munera Palladis ars,
Ceßit & Aoniis proles Acheloia campis.
Ac veluti Pinus latis adoleſcit in aruis,
Stellantiq. alitur pluuia, irriguisq. pruinis,
Melliſluas diffuſa comas, & brachia longe,
Inſignis cultu, fructus ſeruata coruſcos
Fert ramis, decus omne libens cedentibus agris.
Mollia ſic Daphnis promittens ocia Muſis
Multa vehens ſecum, peperit noua ſemina terris,
Dexter adens Diua, qua Aethræ de rebus habebat
Certamen, ſiue aſtra darent, ſiue æthera palmam.
Hunc igitur vates grauibus mulcete camænis,
Cuius in auditum roſeo decus ore refulget;
Plurima cui virtus cum maieſtate decora
Iunxit amicitia reduces, Dominoſq. potentes.
Orci quod poterit vaſto de gurgite vinctos
Extrahere, & quod digna quidem premit ora Veſeui
Fulminibus iactis, intra ſua viſcera monſtrum.
Inarimemq. maris reboantem fluctibus, atq.
Aetnæas inter fornaces qui ignibus ardet,
Et te Scylla vorax, ſtygiis emiſſa cauernis,
Per nemorum latebras, & per deſerta ferarum
Bacchantum faciet ſæuas auertere prædas.
Et qua aduerſa Deos ponti ferit vnda marinos,
Dirigere antemnas te opum implacata Charybdis.
Et rapere Heſperiam ſtudia indiuerſa cateruam.
Cypria tunc ardens ſanctum inſpirabit amorem,
Europæ excidia, atq. animum indignata ſiniſtrum.
Aurea tunc ætas, & tunc mens omnibus æqua,
Tunc immortale aſſurget mortalibus æuum,

Et Galatæa Arabum, quæ ſe fert inter ariſtas,
Sycaniumq. crocum, quo cynnama nota ſabæis,
Floris odorati ſe cinget ad arua coronis.
Tunc lyra, tunc cythara, tunc Gratia Chloris amæna
Aetherea incipiet componere munera menſæ,
Melliſluaſq. dapes, & nectare pocula dulci:
Et iactent, fœlix menſa qui accumbere Diuûm,
Et ſapidos guſtare poteſt iam nectaris hauſtus.
It Veniet Melagar præcinctus tempora lauro.
Huc ades o Melagar, illuminat Heſperus orbem,
Vineaq. excolitur cœleſti rore rigata,
Vt refluat large plenis Vindemia labris,
Hác illa eſt tumido producens Vbere fœtus,
Vinea Vertente pubeſcens fertilis anno.
Hanc cultu expreſſo, cum Vellera cana reſolui
Incipiunt, glacieſq. orto iam Vere, recedunt,
Dilaqueant, Viteſq. extollunt dente recuruo,
Agricolæ, tutela Vuis Vt certa daretur.
Sepe obducentes poſitas pulchro ordine Vites,
Bellua ne frendens Vaſtis egreſſa latebris,
Limite reſciſſo, & ſepis munimine fracto,
Conetur demoliri Vineta racemis
Dentibus, & Vites imo diuellere trunco,
Vt quondam fuit Heſperiæ ad dumeta relabens,
Depopulatus aper, ſtimulis agitatus edendi.
Diripiens acres, nullo cuſtode, labruſcas,
Huc ades o Melagar, dicebant Vndiq. ciues,
Hic ſunt tres Volucres, quæ ſe nectuntq. tenentq.
Remigio alarum, pulſantes nubila roſtris.
Abſentemq. gemunt paſtorem, ſumma tenentem

Cul-

Culmina, quæ ſolio innixus, tua iura dabantur,
Ante alios habitu inſignis, quem mœnia circum
Lugebant omnes pueri, iuueneſq. ſeneſq.;
Ingemuitq. oriens ad culmina vectus Olympi,
Perpetua paſcens omnes ſol lampade terras.
Ingemuit Rhodopen cantus dulcedine priua,
Et dedit ex imo ſuſpiria pectoris antro,
Et qui magna epulis accumbere numina ponti,
Et dat cæruleos ſpatiare per æquora fœtus,
Extollens querulo cœleſtia lumina vultu,
Compleuit luctu vndiuagas, atque ætheris oras.
Et veneris ſpecies candenti fulgida cultu,
Ingemitum verſa, heu mœſtos dedit inclyta viſus,
Et choreas Dryadum, & cætus neglexit amantum.
Palladis atq. arcem, fœlix quæ ſplenderat ante,
Perpetuum ob luctum, miſeram ſunt multa ſecuta
Supplicia, Eumenidum voluit quam ferre poteſtas.
Huic Nemeſis diræ implacabilis ira reſedit,
Atq. Erebi numen portis exiuit apertis;
Et dedit horribilem monſtrum impalpabile vocem.
Quid referam ſæuis Eurus quæ flatibus inſtat?
Et Nothus horriſonis cœli qui interſecat oras?
Et cuncta inuoluens qua nubifer Africus horret?
Et quæ terrificis ſtrident Aquilonibus arua
Tecta gelu rigido, rubris quæ floribus ornat
Munimen veris Zephyrus, per inania currens?
Omnia mœrebant, omnes anguſta premebat
Triſtitiæ labes; poterant nec ferre dolorem.
Huc ades o Melagar, gemmantia rura iuuabit
Viſere, feruet opus ſtudio, & labor omnia vincet,

Aemula miratur Phœbi, mirantur & amnes;
Quæ mora te cepit? luſtrauit deniq. terras
Delia iter peragens, per ſigna micantia cœli,
Dum ſol Oceani vaſtis ſe conderet vndis:
Reſpice, terra parens colitur qua ſydere fauſto,
Quam late currit per prata virentia flumen,
Exultans; donec noſtras circumfluat oras,
Si te tangit honos, qui tangere ſæpe ſolebat;
Si qua tuo eſt (quæ quondam habuit te) gloria cordi,
Ingenti ſtudio terras exquire tuorum.
Hic cantu oblectat mentes, demulcet & aures,
Qui Perſarum animos, acieſq. coegit ad arma,
Et cecinit Macedum, & terrarum ſceptra tuenda;
Qua fluit Eufrates, Babilonemq. alluit vndis.
Nec deſunt culto mandantes ſemina campo
Ordine & erectos iungant qui vitibus vlmos;
Et rapido volucres cupientes fallere viſco,
Et dumeta inter lepores captare volantes.
Huc ades o Melagar: tota te mente petebat
Nerea virgo, oculos lachrimis perfuſa ſubortis,
Quam pater Hippotade inſpiciens de collibus altis,
Carpebat duros ducens de corde dolores.
Et Rex æquoreus cœleſti ſemine cretus,
Sollicito pulchræ iam captus amore puellæ,
Exarſus Nerei aſpiciens maria alta ſecantem,
Effera vaniloquo ſuſpiria duxit ab ore.
Nerea te virgo Melagar miſeratur amantem,
Nocte, dieq. gerens te infixum mente, per agros
Inſequitur, quòcunq. viæ veſtigia tentas:
Sub pedibus ſternens Narciſſi ſerta rubentis.

Te ſequitur Lucina tuum mirata decorem,
Et deteſtatur formam, quam fama ſecuta eſt,
Cum biberes riuos ſummis de montibus ortos,
Decurſu tellus quos ſurgere præſtat Abellæ,
Huc ades, eſt nihil o Melagar quod præſtet in orbe;
Omnia nempe fluunt, nec tempore ſeruat eodem
Verſantes fortuna vices, dum tempora curſu
Labuntur celeri, variaſq. tenere figuras
Cuncta docet, mundi quæ met momenta ſecuntur.
Non eadem ſemper pariens fert lilia tellus,
Non eadem ſemper vernans fert gramina campus;
Omnia paulatim terit inuidioſa vetuſtas.
Succeditq. eodem quod paſſu eſt ante relictum;
Flumina labuntur, & paſsim alia orta feruntur,
Fluminibus pulſis, vndaſq. vrgentibus vndis.
Quod fit, iam factum eſt, fiet, quod deniq. numquam
Sub cœli Clypeo fuerat; nec Lucifer idem,
Praua nec Phœbi inſpexit Pallantias, æthræ
Decurrens orbes magnum per inane recluſos.
Quicquid & adiutrix natura creauit in orbe,
Conſpicimus duris conſumptum dentibus æui.
Currimus ac omnes per iter decliue iuuentæ,
Donec Hyems comitem ſe iungat roboris expers
Aſpectu tremulo, & paſſu confecta ſenili.
Ergo veni iubar hoc noſtrum te ducet ad amnem.
Conſpicuus numeris alter tibi texitur ordo,
Nec ſua cuiq. manet ſpecies, namq. emicat alter
Qualis Apollineus ſe tingit Currus in æquor.
Dixerat hæc Mopſus Muſa modulatus agreſti;
Heſperia inuitus Titan ſe merſit in vnda,

Delia candentem ſtellis conceſsit olympum,
Ad ſua vicina properarunt antra ſorores,
Atq. alueo flumen laxas immiſit habenas.
Mirata eſt Dea syluarum, mirataq. tellus.

PASTORALIS SEPTIMA.

Amilcon, & Lycidas.

Amy. *HAC nocte o Lycidas primi ſub imagine ſomni*
Singultus, fletuſq. altos, lachrimaſq. profundas
Effudi, totuſq. dolor me inuaſit aperte
Sic hodie, gemituſq. alter mea lumina preſsit.
Neſcio ſi dura aſtantis ſint vincula mortis,
Aut alius caſus miſerum me inuadat acerbus.
Lyc. *Iſtius immenſæ ſunt clara oracula noctis:*
Nam caſum ſenſi, qui nunc te inuaſit Amilcon.
Errasti, rectiq. viam producere longam
Debueras, medio vitam nec linquere bello.
Victricium palma eſt, fortunam in vtramq. paratus
Decurrit, ſeu forte mori, ſeu viuere detur.
Amy. *Crede mihi Lycidas capi dum ducere vitam*
Mortales inter, vixi ſuffultus amictu
Perpetuæ noctis, ſortem perpeſſus amaram.
Nunc etenim vultum paulo conuerſa ſecundum,
Vndiq. concutior, telis concuſſus iniquis.
Nec vitare datum eſt, erat irreparabile telum.
Nec ſpes vlla fugæ, miſero quid deniq. victo
Reſtaret? ſiue arma daret, ſiue omnia fatum.
Certa dies aderat, quam ſic ſua fata ferebant.

Hei

Hei mihi proruptis lachrimis lamenta profundam.
Vos Dryades Muſæ noſtras memorate querelas,
Et noſtri gemitus veniant ad pocula Damæ.
Nam mecum noſtræ dum gramina læta capellæ
Carpent, implebo querulo vaga flumina queſtu;
Et gelidi circum lachrimabunt ſaſſa Lycæi.
Incipe perpeſſas mea fiſtula ferre querelas.
Nam dulci Aoniæ reſonabunt murmure lymphæ.
Et noſtro accipient deductum pectore carmen.
Non eadem eſt ſemper nitidi clementia cœli,
Non eadem natura æuo vertente vireſcit,
Omnia mutantur, mors æquatq. omnia paßim.
Eurydamas pharetra vltrices depone ſagittas.
Nam pecudes fatis omnes vrgentur acerbis.
Horret ager credas, qui talia ſpicula vibrant.
Ergo ſine, & latus placidum tibi concipe fœdus.
Incipe perpeſſas mea fiſtula ferre querelas.
Eſt lux poſt tenebras, & poſt tormenta laboris,
Eſt conceſſa quies, non omnis nubifer annus,
Vt non vna dies mihi læta refulgeat, expers
Nubis atræ, & pelagi ceſſet mea vita procellis.
Incipe perpeſſas mea fiſtula ferre querelas.
Eſt modus ignari & pereundi terminus æui,
Et me luctus habet, geminæ me clade ruinæ,
Crudeleſq. inſtant furiæ, ne tale viderem,
Vrgenti vellem morte, atq. incumbere fatis.
Incipe perpeſſas mea fiſtula ferre querelas.
Dum mecum læta, inſtabilis fortuna manebat:
Dum placidam niueo ducebam lumine vitam;
Aduerſum flatum ſpirarunt vndiq. venti,

Et quo aduerſa magis mihi ſors, magis ipſe reſiſto.
Incipe perpeſſas mea fiſtula ferre querelas.
Si tua ſceptra forent, quod præſens turba ſtupebit.
Si argenti, atq. auri te copia diues haberet,
Perpetuum nihil eſt, quicquid ſub ſole caducum;
Nam durata diu mihi nulla potentia viſa eſt.
Incipe perpeſſas mea fiſtula ferre querelas.
Naſcimur, & morimur, omnes mors vna moratur.
Cur conaris atro res noſtras vertere fundo?
Quis furor indomitus diris nos excitat armis?
Quæ male ſuada fames? cur impia iurgia iactas?
Quæ rapida inter vos diſcordia tanta fatigat?
Cur ſolum intentata manet fortuna furentes?
Eſt Deus aruorum, & pecudum Deus ille Menalca.
Cur prauo, tantumq. animo certatis iniquo?
Non ſatij patriæ lachrimas vidiſſe ſupremas,
Fulminaq. iratam ſuperis immiſſa per vrbem?
Veſtra igitur nemo poterit deflectere iuſſa,
It tantum ſuper imperium noua condere fata?
Creſcit amor belli, dum arma, & ſine lege pharetras
Exuperant iræ, irarum fugit æſtus ad aſtra.
Quid repetam lamenta? locum dabo certior iræ,
It quocunq. ferat greſſus fortuna ſequamur.
O modo lanigeros liceat mihi paſcere fœtus,
Et panda in iuga ruricolos ſubducere tauros.
Acceptus capulum, curui moderator aratri,
Submotæ experiar mea ſpargere ſemina terræ,
Et poſſim campos longo purgare ligone,
It dare quos poſcit riuos meus hortus aquarum;
Neſcio cui colui viridantis gramina campi,

An

An ſcythus excipiet, durus vel barbarus hoſtis,
Quos ego pomiferos plantaui in montibus hortos,
Non ego ſic poſitos, quamuis deſiderat agros
Amiſſos animus, vellem ſpectare virentes.
Te ſolum hortus habet, te denſa Fagus in vmbra,
Florida te tellus, lympha tu fontis amomi
Prata rigas ſolus, ſuaues qui reddit odores.
Tu calathis ſolus ſpargis vaga lilia plenis,
Luteolos flores violas, molleſq. hyacinthos,
Purpureaſq. roſas, & odoriferam panacaam,
Narciſsi & florem; fortuna miſerrima noſtra eſt.
Infœlix paſtor humeris dum ad paſcua ducis
Errantes pecudes, & lac in uaſa reportas.
Infœlix paſtor, lachrimarum flumine dignus,
Ergo ſemel cecidiſſe iuuat? miſerabile fatum
Fatum, crudele, impium, ineluctabile totum;
Ergo ſemel cecidiſſe iuuat? quis ſentiet iſta,
Duritie quamuis plenus, quis dicere poſſet,
Vt non ingemitus ſua ſolueret ora perennes?
Nonne fuiſſet atris melius cecidiſſe ſub armis,
Cum nudo Alpheſius gladio pugnaret Adone,
Vt volui mediam inter eos extendere dextram,
Et ſemel orta, mori iuſte mea vita Tonanti,
Quam ſpectare oculis diram ſine limite mortem.
Sed ſatis eſt non poſſe mori, & fera vincere fata,
Vt mihi ſint miſero maiori hæc prælia damno,
Prælia quæ nunquam poterunt lenire dolorem.
Lyc. *Cur ſic o paſtor lachrimoſo e pectore queſtus,*
Miſtaq. cum gemitu fundis ſuſpiria tanta?
Quis dolor? & ſumma indignatus ad æthera clamor?

Quis poterit duras fati prorumpere leges?
Dic rogito, ſeries fati quid vertat iniqui,
Nullus enim dolor eſt, qui non ſermone leuetur,
Mitior & fiat, fidis tranſcurſus amicis.
Cur metuis fari, poterunt quæ gaudia ferre,
Tollere & ex animo tibi triſtia? faris amico.

Amy. *Fortunate puer, tenui dum gaudia ludo*
Teſtaris, ſeu voce canis, ſeu ludis auena,
Quod pratis fœlix, & apertis eminet agris
Gloria, paſtorum ductis celebrata choræis.
O fœlix poſuit quæ te fortuna videndum
Hetruriæ Ducibus, creber qua defluit Arnus,
Sectando Muſas: virtus tua ſeruat odorem,
Tali imbuta ioco, ſed fert incerta vaganti
Inſtabili fortuna thoro, mihi cognita nuſquam
Læta. ſed aduerſa, ætatis vergentibus annis.
Paſtor ſola tua eſt, quæ ſemper ſplendida cultu
Fertq., refertq. vices, vmbra (orto ſole) fugata,
Qua cuncta æterno mœrent animalia ſomno.
Ipſe ego tam diues, pecudes qui ad paſcua mille
Deduxi, tam diues equùm, tam lactis abundans,
Pauper inops factus, per tot fata impia curro.
Nec ſpes vlla datur tantos finire labores.
Deſine perpeſſas mea fiſtula ferre querelas,
Phœbus anhelantes ſubmergit in æquore flammas,
Inclinata dies nigro veſtitur amictu.
Docta diu celebri mea carmine Muſa ſilebit,
Ite boues læti, noſtri quondam ite iuuenci,
Nam poſt hac nuſquam Platani proiectus in vmbra,
Carpere vos ſalices celſa de rupe videbo.

Care

Care vale paſtor, dulceſq. valete capellæ.

Lyc. *Hac paſtor poteras mecum requieſcere valle,*
Eſt aliquid tibi nanq. domi, quo menſa paretur;
Sunt mihi caſtaneæ virides, & poma nouella,
Pruna, nuces, melliſq., fauus, maris atq. rapinæ
Piſces, & pinguis caprei caro. Amil. *Nolo valete.*

NAVTICA VLTIMA.

Tharſius, ſiue Sebaſtianus Faciuta.

EXIGVAS nondum Titan altiſsimus vmbras
Expulerat, nec ſol luſtrabat lumine terras:
Spirabant Zephyri liquidum per inane tepentes,
Clara dies niueo ſeſe veſtibat amictu,
Lumina cum ſurgunt crepuſcula cernere ſolis,
Dum parat Icarium ſe vertere ſæuus in aſtrum,
Tharſius expanſis raperat vix æquora velis,
Vix mediis gaudens intrarat montibus vndæ;
Hoſtia qua puppes intra ſua regna receptat,
Et ferit æſtus aquæ, Tibridi cum iungitur æquor,
Concurſu paruo, vidit prætendere ventos
Imbre fretum, & tenebras circum vicina fluenta.
Horrueratq. dies paruo cum frigore, & vmbra
Obducto pelago, Cauri per inane fremebant,
Aequoris alipedes tumidas dum Phœbus in vndas
Mergit anhelantes, circumduxere tenebras
Obſcuræ cœlo nubes, pluuiæq. domabant
Viſcera Neptuni, æthereo de culmine paſsim
Labantes, quaſi hyems eſſet, conuerſaq. mundi

Fabri-

Fabrica, non aliter quam tempeſtatis aquoſæ
Cum tonitru cœlum nautæ, & ruere æthera norunt,
Vt vidit ſocios per tot diſcrimina ponti
Phylarcus, maris inſidias, qui & ſydera noctis
Ventorumq. habet, e clauſis quos deſtinet antris
Aeolus, inſurgit tranſtris, & Nerea remo
Incepit verſare pauens, ſubigitq. ſecutus
Se in mare Phæreus, quem miſerat obuius Anthas
In littus, traxitq. ratis freta vincere ſulco.
Cuiq. ſuæ. ſit cura ratis Phylarcus aiebat,
Me curæ ſubiere Ducem, tum Tharſius omne
Proſpiciens glomerare æquor, mixtumq. profundum,
Præualidoq. foras contortum turbine ſaxum
Impulerat pater Hyppotades, vt carcere ventos
Funderet, & nymbis pariter ſe accingeret Eurus,
Poneret atq. alis Zephyrus, freta curua ferendo
Vnanimes, remiq. excuſſi per brachia longe,
Verſaq. in obliquum pelagi, ratis, vndiq. multos
Ictus contulerat, læuoq. antemna frementes
Subſtulerat cornu fluctus, & vela procellæ
Diriperant, tremulum ſupra volitantia malum.
Extendens duplices cœlorum ad ſydera palmas;
Talia voce dedit lachrimis dictamina fuſis.
O genitor qui regna quatis ſpumantia Glauci,
Et Thetidis ſumiſſa ſalo complecteris arua;
Si illicitas tentare vias, ſi linquere terras
Spe pelagi, & volui campos ſpectare marinos.
Succurre, eſt pelagi, tempeſtatiſq. ſonoræ
Imperium tibi, ſeu caſus, ſeu ſortis iniqua
Mens fuit, aut aliter cœlorum voluitur ordo;

Fatale

Fatale vt ſic ſtaret opus, ſeu ſurgere in iram
Hac mea te puppis fecit, da numine tandem
Poſſe frui, terris quæſo da reddere noſtris
Hos comites, lætaq. amplecti voce parentes.
Da mihi lucis iter, vultu qui proſpicis æquo.
Nam cadet ante tuum celeberrima victima templum,
Te ſine diripiet mors implicata carinam;
Quæſo adſis, nam fata animas aſperrima verſant:
Tunc Euri intumuere mari, exitiumq. ferebant;
Fulgebatq. parum Titan algore rigenti;
Et qua agitat Zephyrus terras, mare triſtis agebat:
Phylarcumq. pauor lachrimantem acceperat horrens.
Haud aliter, quam cum emanant vertice guttæ
Sanguineæ, inſpiram vt ſerpens ſe colligit atrox.
Demiſſuſq. animus horret, tremebundaq. furtim
Membra quatit, fortemq. animum timor anxius vrget,
Concreto ſenſim torpebant ſanguine venæ.
Et ſocios dictis ſic compellebat amaris.
Viſa Carina maris defecta labore per vndas.
Cingite vos remis nautæ, tenet alta vagantem
Aequoris vnda ratem, curſu Zephyruſq. proteruo
Nos agit, ingeminant Euri, inglomerantq. procellas,
Et pontus, pariterq. cohors exhorruit omnis,
Turbine fert Auſter Pinum, atq. incendia ducunt
Stridentes auræ, eia agiles incumbite remis,
Ducite in alta ratem vnanimes conſidite tranſtris.
Eripite hærentem ſcopulis, immergite gazas,
Faſce leuetur onus, Lembi ſit cura, fremeſcit
Ventorum turba (Aeoliis cum excitur ab antris)
Turbinibuſq. ſolum verrit, pontumq. profundum.

Nubibus

Nubibus obducens æther, lucemq. tenebris,
Inſequiturq. acri deſcendens Iuppiter imbri.
Nec ſpes vlla datur, mali curate ſalutem,
Antemnæq.; nothi ne ſcindant lintea Cymbæ.
In dubio res eſt, concuſſa carina laborat,
Vndiq. iacturam facite, atq. ad ſydera mentem
Tollite, tempeſtas agitat per cærula nautas.
Ac ſine remigio nequeunt ſe ferre carinæ.
Eſt latus abruptum, conſciſſaq. carbaſa, ſæuit
Imber aquæ, & titubans nautas ſpes detinet omnes.
Fidite proclamat, cui vos confiditis ipſi;
Veſtra ſalus agitur, animis attendite veſtris.
Tunc modicum ſolis lampas apparuit orbi,
Nam fuerat nox atra quidem ſine lampade tota,
Expers haud pluuiæ, tunc voce, & queſtibus æther
Ac votis (quamuis triſtes) impleuimus omne.
Has inter lachrimas, rapuerunt carbaſa puppim,
Dum claui rector ſequitur quo ſemita ducit.
Nautæ ſole nouo læti, clamore ſecuntur,
Quo dux tendit iter, per mille pericula rerum:
Et remi rapuere ratem per marmora ponti;
Donec cæruleo Caietæ in littore ſedit.
Anchora ſed poſtquam fundauit dura Carinam,
Deſiliunt nautæ, anfractu dum littora dulci
Caietæ ſinuoſa legunt, & per diuerſa parentum
Se loca proiiciunt, ſpargenti ſomnia cœlo.
Tharſius Heſperiæ, pelagi non immemor iræ,
Cum comite Antæo, Diuûm ſe ad templa recepit.
Et totam duxit diuino carmine noctem.
Tertia ſed poſtquam fælix Aurora refulſit,

Aequoreas fugiens vndas, & carbaſa longe,
Summa petens iuga, deſpexit maria omnia ſolus,
Neptuni expertus regionem & turbida regna.
Tunc celſas Phœbus cœli fulgentior arces
Vicerat, & quæ ſit ſanæ ſententia mentis
Huc illuc dubius, queſtu lachrimabat amaro.
Incertus quid fata ſibi promiſſa referrent.
Aethera ventorum rabies Aquilone ſecabat,
Terroremq. animo, atq. ignem dabat inſula circum
Vicinas pelagi ædes, & penetralia paſsim
Cuncta videbantur flamma crepitante moueri.
Incedens, cui me hoſpicio ſors iunget amico?
Eſt mihi (dicebat) miſero fortuna laboris,
Quam ſuperare aſtantem non ſuſcipit ætas.
Noui ego quo caſu trahor, & qua ſorte per alta
Culmina decurro, & teneo intra limina greſſus,
Sum memor ah demens quot ſit partita labores,
Quot nexus dubios, quo me fortuna timore
Ignotas calcare vias conceſsit, vt eſſet
Aſtantem circum tanta inclementia vultum.
Ipſe ego Melphiacis timui ſi excedere tectis,
Et volui terras, Tyberinaq. flumina curſu,
Atq. Arni penetrare ſinus, ignoſcite tandem
Spe mihi promiſſa, per tot diſcrimina rurſus
Vitam agite; nulla fretus virtute precabor
Vos ſuperi, quocunq. loco ſpectatis in orbem,
Vos tangat pietas, tangat vos cura parentis,
Atq. mei, ſpargunt multos nam lumina fletus.
Spem poſui ſemper Diis cœli, occurrite, namq.
Ipſe ego lamentis impleui triſtibus æther,
Me trahit ad mortem ſuaq. in primordia tellus,

Sicut erat puluis corpus, velut ante reſoluens.
Vnicuiq. ſui eſt præfixus terminus æui
Aetatiſq. modus, nec quid craſtina parturit hora
Concipimus, nec quid tempus præuertit habemus.
Me miſerum variæ carpunt ex ordine mortes,
Stamina diſrumpunt Parcæ, vultuq. cruento
Me mors armata aſpiciet tellure iacentem.
Ignotis ergo ipſe iacebo inhumatus in aruis?
Nullus erit terra iniecta qui me obruet? adſum,
Fruſtra animum tollo, nec erit qui roſtra ferarum
Auertet? volucrumq. arcet moderamine prædam?
Speraui te poſſe Deum pulcherrime, ſomnos
Carpere Melphiaci ſecura ad flumina montis.
Nonne fuit ſatius pontum tranaſſe ſiniſtrum?
Et tanta in medio teleraſſe pericula fluctu?
Et quamuis tanto turbata eſt turbine puppis,
Ambroſio rediens Phœbus ſplendore coruſcus,
Aetheris abſterſit nubes, atq. aeris vmbras.
Phœbe adſis, cœlum poſita feritate domare,
Et poteris ferre è media tellure tenebras;
Dum Antæum ſermone tenet, ſufflantibus Auſtris,
Se iunxit comitem per opaca ſilentia noctis
Pulchra Venus, dextramq. dedit, blandeq. trahebat
Alloquiis, iuncto per paſcua florida paſſu:
Donec vulturni tetigerunt ambo cacumen;
Aufidus horriſonis vallem qua interluit vndis.
Aſt ille inceptum (famula Duce) noctis opacæ
Duxit iter, propereq. ambo monſtrata trahebant
Limina, non aliter quam ſi radiantia adirent
Tecta, Deiq. ora, atq. æterni luminis arcem;
Donec fœlices æterna in pace quierunt.

EIVS-

EIVSDEM DIVERSA POEMATA.

Ad Claudium Equitem Saracenum.

TEXE nunc ſparſis violis coronas,
Et roſis albis, cyaniſq. rubris,
Et tua illuſtris Saracene lauro
Tempora cinge.
Nunc dies ortus micat inter omnes,
Clarior Phœbi radio coruſco,
Lætior Luna rapiente plenis
Cornibus axem.
Aequoris lentos grauis vnda curſus
Traxit æſtatis Zephyro tepenti,
Et vides quodam ſpatiare latos
Ordine piſces.
Prata nunc rident cumulis roſarum,
Flora terrarum Dea veris orbem
Pingit, & dulcis Phylomela cantu
Intonat æquo.
Huc ades Claudi, Dryadum frequenter
Te iuuat tantum choreis adeſſe,
Quem frequens. Vatum celebrat canoro
Turba cothurno.
Huc ades Claudi Saracene, Muſæ
Te canunt noſtræ numeris perennem,
Et tuum tollunt ſuper aſtra nomen
Voce ſonora.

Ad Deum Opt. Max.

NAturæ pater omnipotens, Deus vnus, & omnis
Qui cœlum, terramq. regens immobilis, aura
Cuncta reples, miro proſpectans clymata tractu.
Aethera qui digito, & terræ concludis acervum;
Et numeris paribus tranquilla in pace coerces
Semina, ſeu radiant hyades, ſeu lucet Orion.
Aſpice terrarum molis ſeptemplicis orbem,
Auxilio aſſequere, mundo ſuccurre labanti.
Qui ſolis radios, & lunæ, ac ætheris ignes
Accendis, daſq. vnus cuncta elementa moueri.
Rumpe moras, mortis ſubeunt indigna Penates,
Dextra occurre tua, accenſus vim pectoris ira
Intepeat ſparſo Bactrorum ſanguine pontus
Vt fuit Aonio in magno, diſperge ſuperbum
Regnatorem Aſiæ, terras qui concutit omnes
Flagitio, irarumq. tumens ſua fulmina torquet.
Turcarumq. Duces dura in certamina cogit,
Sanguine purpureum rubras fert littus arenas,
Ob ſtrages diras, & tela ſonantia Martis.
Nulla datur requies, omni dat parte labores,
Cuſpide cuſpis adeſt, pede pes, atq. enſibus enſes,
Telaq. pelluntur telis, vmboneq. frangitur vmbo.
Hic rogat, ille necat, durumq. in prælia Martem
Suſcitat hic cantu: pedibus gemit ille reciſis;
Sanguineas tenet iſte manus, caput ille cruore:
Hic obit, ille obiit, moriens hic palpitat, ille
Aeterno clauſit fœlicia lumina ſomno.

Hic ferit, ille fugat Latij de ſede Penates,
Atq. Lares patrios, quorum ſpes nulla ſalutis
Vera animis, hominum auxilio, ſpes nulla relicta eſt,
Nam ſua Letheis poſuere ſedilia campis.

Melphiæ excidium.

MElphis in Auſoniæ quondam pulcherrima regno
Armigeros habuiſſe viros, vt fama vagatur,
Diuitiis claros animi virtute, potentes,
Priſca recenſendo ſileat de more vetuſtas,
Tot Latio celebraſſe Lares, nam Melphis in orbe
Præclara exiſtens, tranquilla in pace, ruinam
Exemplo paſſa eſt, & multis vtile bellum.
Cum fera Galligeros diſcordia traxit Iberis
Pro Latio certare Duces, vt cedere regno
Sequanido, & totum dominari in cætera poſſent.
Impius Antyphates, quiſquis fuit ille ſcamandri,
Quem taceo infandum, ſcribens ſine nomine crimen;
Ne ſua quæratur numeris infamia noſtris,
Et queſtu ne forte meo ſibi gloria detur.
Nomine non vtar, meditando immania fallax,
Candida qui ſigno vexilla oſtendit aperto,
Et dedit exitio ciues, face, ſanguine præda.
O facinus mordax tanto de funere dignum,
Et merito gemitu, cunctis lachrimabile factum.
Lubrica namq. etiam, multaq. rubentia cæde,
Sanguine ſaxa madent pueri, iuueneſq., ſeneſq.
Occubuere neci, nulli ſua profuit aura.
Ac velut ex longa rabie, ingluuieq. rapaces

Labentes in ouile Lupi, aſperitate vetuſta
Cum pecus omne vorant, & ſiccas ſanguine fauces
Molleſcunt, ita tunc homines, omni feritate fremebant,
Alter in alterius cædem, quod flumina riuis
In morem currentis aquæ nigra ſanguinis ibant.
Excidium Princeps animo demiſſus ab arce
Pugnantum aſpexit, clypeoq. inſignis, & haſtâ
Oltreccus fortis turma ſtipatus ab acri,
Quo non eſt alter pugnas accendere Marte,
Vaſtabat variis, ira ſuccenſus atroci,
Mœnia fulminibus, pariterq. in tela ruebat,
Inuadens clypeos, pediteſq. animoſq. labantes.
Oltreccum inuaſit Princeps comitatus ouanti
Agmine, dum diris mulieres traxit ab armis,
Caſtra ſuper, loca fulminibus vicina remittens,
O fœlix Princeps, cui ſumma potentia belli
Tradita, ſiue manu ardentes iuuat ire per hoſtes,
Siue rogas, ſeu Marte vocas, ſiue arma miniſtras,
Factus es obſtragem noſtris ſpes vnica rebus,
Obſeruando nurum per faſq. nefaſq. pudorem,
Currentem aſpiciens paßim velut vnda cruorem,
Et dare terga fugæ lentis nec paßibus omnes,
Certatus clypeo & noſtros defenſus honores.

In tumulo Fœlicis Faciutæ Elegia.

SYdera, terra, fretum mecum ingeminate querelas,
Accipite o lachrimas ſydera, terra meas.
Flete meos caſus Muſæ, plorate parumper
Pierides, cecidit, qui decus orbis erat.

Sum

Sum preſſa heu nimium magna grauitate malorum,
Anxia ſunt queſtu pectora noſtra ſatis.
Conſenuit mea iam virtus, quaſi lumine caſſa
Aggredior, facies tabida facta mea eſt.
Continuo obruitur liquefacta dolore malorum
Vita mea, & vires non habet illa ſuas.
Sum nihil, & caſu rerum ſum preſſa ſuperbo,
Non decor, & facies, nec mea forma mihi eſt,
Sed lachrimis magna effundo lamenta profuſis,
Pro gemitu non eſt vlla loquela mihi.
Me ærumnis fatum aſſueuit crudeliter vti,
Et ſemper læſam me ſine fine premit.
Sum longis penitus curis conſumpta, manuſq.
Frangor habet, vitam vix habet aura meam,
Dicere non poſſum teſtantia verba quietem,
Dum fatum toties in mea vota precor.
Exit ab extrema hic cordis formidine clamor,
Et ferit æthereas (me trepidante) plagas
Ploro meum natum, lachrimis implete lacunas
Naiades, in tenebras nam meus iuit honos.
Vos metum Dryades gemitu lachrimate profuſo,
Et mecum Pallas triſtia fata geme.
Nam periit cui pectus erat virtutibus auctum,
Et vigor intextus fructibus auricomis.
Plorate o Dryades, mæſtumq. adiungite carmen,
Et ſignate ſuis carmina marmoribus.
Hac carpunt longos fœlicia lumina ſomnos,
Hac mea Fœlicis membra ſepulta iacent.
Hac recubant Charites variis concentibus vrna,
Et vitam, & mores poſt ſua plectra canunt,

Dignus erat priſci ter viuere Neſtoris æuum,
Heu mors cur natum ſuſtulis atra meum?
Exaudi o Fœlix lachrimis mea verba ſubortis,
Et noſtras tota percipe mente preces
Non audis? tenet intentas quis ſpiritus aures?
Dic rogo, quæ ſenſus impedit aura tuos?
Non loqueris? retinet quis te non ferre loquelas?
Reſponde, & dextram porrige quæſo parum.
Spargo vrnæ caltham, Caſiamq., Thymumq. flagrantẽ,
Vt caltha, & molli floreat vrna Thymo.
Ferte mihi lachrimas myrrhæ, violaſq., hyacinthum,
Nam non in toto eſt dignior vrna loco.
Spargo Arabos rores, Arabos en ſuſcipe rores,
Spargo roſis tumulum, te obſecro ſume roſas.
Spargo crocũ, tenerumq. Apiũ, ſuauemq. Amaranthũ,
Sume crocum, & tenerum (te rogo) ſume Apium,
Ferte mihi Muſæ immortalis balſama ſucci,
Dulciaq. inſtructis arma mouete tubis.
Floribus immiſtas variis compono corollas,
Vt tua circundam tempora cum lachrimis.
Vt niteant crines, & fulgeat vrna Amarantho,
Vrna tua, & rubro floreat vrna croco.
Sunt mihi Narciſsi, & ridentia lilia, lauri,
Atq. tuæ paſsim pulchre Hyacinthe comæ,
Nec non Idalio fulgentes murice flores,
Et virides myrti, quas modo Flora tulit.
Iam dormis? requieſce parum, mox ſurge repente,
Vt nectam hæc capiti myrtea ſerta tuo.
Amplius haud ſomnum capras, mihi porrige dextram,
Et ſume hæc digitis aurea dona tuis.

Surge parum, atq. meo præbe tua brachia collo,
Et centum labris baſia fige meis.
Namq ego dum viuam, ſeruabo hæc oſcula ſemper,
Quæ poſſunt vitam nunc recreare meam.
Me fugis? heu matris carum ne deſpice munus,
Si non ingrato munera tanta fero.
Non loqueris? poſſemq. mori? per flumina iuro,
Quod cineri ingrato munera trado tuo.
Mirare heu matrem nigro lachrimantis amictu,
Et querulos tali dicere voce modos.
Amplius haud ſileas, mater te interrogat, audi,
Heu non ſunt matri verba neganda tuæ,
Ergo taces Fœlix? cur me mea vita relinquis?
O ingens animæ cura, dolorq. meæ.
Me fugis? & dulces vultus auertis, & ora?
Debebas Pylij vertere luſtra ſenis.
Crudeles Parcæ, crudelia ſydera, nati
Vna hora ornatus abſtulit atra mei.
Vna dies virtutis opes, vna abſtulit hora lepores,
Vna decus, dulces vnaq. delitias.
Dormis? ſis leuis in tenues dum laberis auras,
Atq. anima angelicis ſit comitata choris.
Et Deus omnipotens, regnum cui paret Olympi,
Aethera qui cælo, qui mare donat aquæ.
Te faciat precor ætherea requieſcere in aula,
Atq. tua vt tumulo molliter oſſa cubent.
Nec loqueris? tua vbi eſt tantæ facundia linguæ?
O longa æterno vita futura die.
Te Dryades querulo lachrimant per prata ſuſurro,
Et nemora & campos vox habet vna meos.

Vo

Vox gemebunda ſonat ſyluas, & luſtra ferarum,
Et reſonant querulis ſydera carminibus.
Et Muſæ horrendas referunt per compita voces,
Et nube obſcura ſe tegit omne ſolum.
Et mœrent nemora, & mœrent arua omnia, mœrent,
Et querulos iterant antra profunda ſonos.
Crudeles Diuæ, crudelia fata, virentes
Scidiſtis dura non ſine falce dies,
O mihi marmoream liceat nunc ſumere formam,
Nam tibi nil leuius quam lapis iſte foret,
Inciſæq. notæ legerentur in ore ſepulchri, eſt
In lapidem hic mater, filius in cinerem.
Sic mea non caperet cœli reuolubilis aura,
Irrita quæ tribuo carmina marmoribus.
Non eſſet ſcylla, non eſſet ſurda charybdis,
Acciperetq. meas mors inimica preces.
Flecteret ingratas querimonia noſtra ſorores,
Nec mea nox eſſet, nec ſine luce dies.
Quæ fuit o ſuperi tanta in clementia cœli,
Quæ feritas, quando tam decus occubuit?
Læſerat hic forſan animi terrore planetas?
Spreuerat an fati triſtia penſa ſui?
An dedit Emathiæ ſignum memorabile belli,
Pelion vt quondam indixerat arma Ioui.
Ceperat an Venerem odryſio cum Marte catenis?
An non ſeruauit debita vota Deæ?
Quando Deam ſacras non obſeruauit ad aras?
Hic fertur nemorum conciliaſſe Lares.
Et curru afflatam cantu flexiſſe Megæram,
Iſmarium vt vatem detinuiſſe ferunt,

Inuida

Inuida Parcarum ſeries ſine legibus, arma
Arma tua, in puerum ſunt nimis atra meum.
Ante iterum veniet noſtris confuſio rebus,
Naturamq. habeat flammifer ignis aquæ.
Ante eadem ſolis fulgebunt lumina nocte,
Et lunæ ſpiculo luminis alma dies.
Deſinet eſſe ignis, tellus, & ſydera, cœlum,
Nec teneant herbas mollia prata ſuas.
Ante dabit tellus iterum ſua monſtra, Gigantes,
Et prius errabunt æthere quadrupedes.
Quam meus hic taceat ductus de pectore clamor,
Et quam mens querulo mœſta dolore vacet.
Dicite ió Parcæ, & mortis torquete ſagittas,
Nam non hic veſtris ſubiacet imperiis.
Aonidum miles menſa depaſtus Olympi,
Edocet imperium vertere poſſe Iouis.
Soluite vos luctu, viuit nam morte peremptus,
Auribus his auſi nunc ſua verba meis.
Surge tibi dixit rerum pulcherrime, vaſtó,
Qui trahit hybernos æquore Phœbus equos.
Te quis amor ſubiit, cum funera mortis adires?
Vt faceres matri vulnera tanta tuæ?
Quem mihi nate refers? quæ tanta potentia rerum?
Inſania o tantum vatibus auſa nefas.
Sic ego lætitia exulto? ſic carmina canto?
Hic honor? hæc requies? hæc mea vita puer?
Heu quem te aſpicio, heu quam diuerſus ab illo,
Ducebas ſuperos in tua vota Deos.
Seu numeris, ſeu voce dabas dicta aurea Muſis,
Eloquij torrens tu Ciceronis eras.

Se tibi dat ratio cauſas aperire latentes,
Se tibi dant cœli noſcere poſſe rotæ.
Aſtra tibi aſſurgunt, applaudit tibi lucidus æthra,
Se dat in amplexus aurea luna tuos.
Seu canis obliquos lunæ, ſoliſq. recurſus,
Seu canis auctorem, qui regit orbis opus.
Omnis te ſequitur comitem vaga turba ſrorum,
Cana tibi ſternunt lilia Amadryades.
Et capiti addentes florentia ſerta, recentes
Florida partitur iam tibi Chloris opes.
Terſichore, qua magna nitet plaga lucida cœli,
Teſtatur gemitu fata ſuperba ſuo.
Teſtaturq. Erato, cœli penetralia quærens,
Et quæ immortalis lumina mentis adit.
Quid faciam? ſi flebilibus lamenta profundo,
Non fugit a lachrimis pallida vita meis.
O vtinam Elyſias liceat deſcendere ad vmbras,
O poſſem ad manes te mea vita ſequi.
Nam metra marmoreo legerentur ſculpta ſepulchro,
Quos tegit vrna duos, lux tulit vna homines.

DE SVMMO MOTORE.

Ad Equitem Antonium Serguidam.

QVI boni forma eſt, bonitaſq. pulchri,
Cuncta deducens bonitate formæ,
Et bonum vincens bonitate pulchri,
Pulchrior extat.

Hic vices mundi tenet atq. rerum,
Temperans curſus, radioſq. cœli,
Ordinat noſtrum numerũm dierum
Ordine fati.
Et cum decliues rapit inde ſphæras,
Aureos figens oculos in orbem;
Mente diuina ſolidiq. luſtrat
Sydera cœli.
Mentis æternæ ratione vertens
Cuncta proſpectat, ſtabiliſq; ſiſtens
Ire iam tempus iubet omne motu
Solus ab æuo
Forma præexiſtens bonitatis omnis
Inſita vt formas ageret, coegit,
Quem nec externæ pepulere cauſa
Fingere metris.
Fœdus æternum poſuit polorum
Clauſtra, coniunctis populis beatis,
Cuncta diuino trahit, atq. miro
Iungit amore.
Seminum formas numeriſq. nectit,
Et globo lunæ leuiter vaganti,
Solis & clari rapido labore
Temperat orbem.
Circulo quodam generata ſeruat,
Iſte naturæ triplicis mouentem,
Soluit vt ſphæris animam ligatam,
Cuncta mouentur.
Iſte conuexi reditus coercens
Sphæricos omnes animabus orbis,

Machinam mira, ſeriemq. rerum
Pace ligauit.
Vnde concordes variare cœpit
Hic vices mundus ſtabili ſigillo,
Et fide longum retinere fœdus.
Semina cuncta.
Terra tum germen, roſeumq. Phœbus,
Lumen & Phœbe radioſa duxit;
Vnde natura melior reſeruat
Legibus orbem.
Hac fide ſpirat leuis aura flatum,
Lucifer lucem, Venus atq. noctem
Nuntiat, labens varioſq. profert
Annus odores.
Et mora lucem breuiore bruma,
Stringit æſtatis tenebras inertis,
Et dat in partes varium decentes
Quattuor annum.
Spiritus ſæui Boreæ niuoſus
Frondibus plantas ſpoliat comantes,
Quas vehit flatu Zephyrus tepenti
Tempore veris.
Fine tum certo pelagum coercet,
Ne ſuos contra liceat tributos
Terminos terris auidum ſuperbo
Tendere curſu.
Sic Deus curſus reficit feraces,
Fœdus vt iungant, vicibuſq. cedant,
Tam modis concors, numeriſq. clauſtra
Ordinat æquis.

Ordo

Ordo dum tantus geritur per orbes,
Concitat motu, retrahenſq. firmans
Orbis alatas animas mouentes
Ordine ſphœras:
Cumq. naturæ genitor ſupræmus,
Gloriæ radix, pater, atq. princeps
Machinam fecit, noua cum rediren
Secula paſſim.
Clauſit & membris animas petitas
Sede cœlorum, dator ille pulchri;
Et ſub exemplo genus hoc ſuperno
Fecit imago.
Et boni ſummi facit igne puro
Ad pias ſedes animas reuerti;
Quas ſua traxit ſimili figura
Factor & auctor.
Sedibus ſummis animas reponens,
Gaudiis implet radiis coruſcans,
Qui velut fulgens micat inter omnes
Stella recurſus.
Se nihil maius veneratur orbi,
Et nec in cœlo ſimilis, nec vllus
Rector huic blando poterit camænas
Condere plectro.
Solus in terris radio perenni,
Magnus in cœlis, nitiduſq., fulgens,
Tartaro præſens, regit omne clauſtrum,
Cuncta miniſtrans.
Iſte dat cœli bona tanta nobis,
Sedis auguſtæ ſoliumq. ſanctum;

Et dat intentos pietatis in ſe
Figere viſus.
Hic boni fontem proprij coruſcum
Solus vt luſtrem, faueat, reperta
Luce fulgenti radij flagrantis
Cuncta trahentis.
Hic tenet dextræ ſolium paternæ,
Hic meum finem regat, atq. cernat;
Donec ad vitæ patriam beatæ
Pergere poſſim.
Eſt vbi nectar, cibus Angelorum.
Et ſalus vitæ, requieſq. noſtræ,
Tempus æternum pater ille Diuûm
Ducit amoris.
Hunc patrem tellus celebrauit omnis,
Huncq. dum cantant numeris canoris,
Mobilem mutat, rotat orbis axes,
Seq. reſeruans.
Hunc canant omnes cythariſq. celſis,
Cantibus ſacris animæq. ſanctæ:
Atq. cæleſti reſonet ſerenum
Aethera plauſu.
Vt viros clemens miſeratus, hoſtem
Pellat antiquum baculo ſalutis;
Nam potens regnat comitatus aſtris
Totus vbiq.
Iſte virtutis proprio triumpho
Nobilem palmam ſuper aſtra cepit.
Ergo præclaris recinemus omnes
Vocibus amen.

De

De Sene fortunato.

INſtabili fortuna terit veſtigia paſſu,
Quæ ſua ſunt certis connumerans vicibus.
Hæc dextra donat, læuaq. volubilis aufert,
Quæ mea ſunt aliis, & tua diſtribuens.
Inconſtans, incerta, in lumine torua, fidelis
In falſo, & veri neſcia, & ambigua,
Oreq. dum ridet, lachrimis aſpergit ocellos,
Diſpar, inæqualis porrigit, atq. rapit.
Infœlix eſt ille quidem, qui munera ſortis
Amplexa in manibus credit habere ſuis.
Dum tua ſpectabas læto faſtigia faſtu,
Guſtando dulces nectaris ore cibos.
Non ego qui fueram, quamuis alimenta negabas,
Vt nunc quæſiſti poſt tua fata ſenex,
En rota fortunæ pelagi te merſit in imo,
En bona ceſſerunt ſtemmata muneribus.
En vaga mutauit lætum fortuna fauorem,
En redeunt crebri per vada ſalſa Nothi.
En fugiunt auræ, & ratis æquore fracta vacillat,
En bona fortunæ quam variata ruunt.
Qui nunc vela dabat Zephyris per ſalſa ſecundis,
Stat miſer æquoreis præcipitatus aquis.
Ipſe time, ne forte ruas, dum ſydera tangis,
In celeres abeunt omnia regna Nothos.

DE LINGVA.

Quinq. hic ſunt metri genera, et mea carmina ſex ſunt,
Dúplicia inuenies, quomodocunq. leges.

Lingua hæc mordax, pungit, prodit, mordet, cunctos,
Mendax garrula, fellea, liuida, flammea, lingua hæc,
Sciſma eſt languida, turbida, marcida, tabida, diſcors,
Fœdans vitrea, ferrea, feruida, frigida lædit,
Cunctis turgida, noxia, fœtida, pallida, mordens,
Certe rodit lingua hæc fallax ciues verbo.

De Tempore.

Tempus edax ego ſum, ſenio affectum, ocyus Euro,
Et certè tempus ſum, quia cuncta tero,
Summa colo ſuperans leuibus faſtigia pennis,
Omnia conſumens, omnia falce ſecans.
Si cupis amplexu comprendere temporis arma,
Reſpice qua tempus ſtringere parte queas.
Carpit iter velox, rapit omnia, & omnia vertit,
A fronte eſt ſpalſum vellere, quo capias.
Quod ſi forte humeros conuerterit, improbe fruſtra
Inſequeris, caluum a vertice repperies.
Fruſtra iter aggrederis, fruſtra veſtigia torques,
Nullus enim tempus tangere ſic potuit.

Ad Cœ-

Ad Cœnobiam de Horia.

NVnc me Caſtalio repetunt de fonte liquores,
Nunc textum ad cytharæ carmina ſurgit opus.
Par formæ virtus, frontis par gloria, motu
Gratia concordi, par pietatis amor.
Par conſtans fidei lumen, par grata pudoris
Maieſtas, veræ par pietatis honor.
Ad quemcunq. aciem vultus Cœnobia flectis,
Nobilis Heſperiæ diceris eſſe Dea.

Ad Conſtantiam de Horia.

SI mea Muſa foret Dryadum oblectata choreis,
Et daret illuſtri cantica Pierio.
Si mare tranaret Danaum, qua Cypria Concha,
Seu cœlum peteret Palladis auxilio.
Perpetuum vitæ nuſquam reperire tenorem,
Nec poterit quale eſt, tale videre decus.
Inceſſus grauis ad formam ſpectare videtur,
Viſu oculos caſto, qua decet arte mouens.
Vna fuit celebrata tuæ Conſtantia formæ
Laus, quæ te ſequitur Cypria carminibus.
Siſte parum, in te cura eſt omnis, cogit amores,
Vt fœlix ſumma te pietate colat.
Cur fugis? inceſſu inſequitur te Diua modeſto,
Hac erit omnis honos, te rogo, ſiſte gradum.

Ad Comitem Polidorum de Caſtellis.

Tempore quo primum Nymphas meditabar agreſtes,
Atq. darem Muſis ocia digna meis.
Carmina dicebam veterum deducta cothurnis,
Ventura in talem concelebranda diem.
Quæ quoniam non ſunt cantu nunc dicta canoro,
Tinge meas quæſo Delphis in amne comas.
Nam tali auſpicio Medicum celebrabo triumphos,
Extollamq. meis te ad ſydera carminibus.

In tumulo Traiani Quartararij Epitaphium.

Vnt tibi qui calcas cineres tot regna, tot vrbes,
Sunt tibi quas omnis ſuſtinet orbis opes.
Eſt tibi theſaurum, tibi Lydius aurifer amnis,
Et te gemmarum copia diues habet.
Eſt tibi nobilitas patribus maioribus orta,
Eſt tibi Pyramidum ad ſydera molis opus.
Totus es argento ornatus, tu totus es aurum,
Totus nobilitas, terra paterna mea eſt.

In eodem.

QVI non proficit, heu iam deficit, omnia perdit,
Qui nihil acquirit, nobiſcum multa reliquit,
Atq. tulit ſecum venerabilis iſte ſacerdos.

De

De Virtute.

LAudibus eximiis virtus celebratur in orbe,
Nam mortem cœlis imperioſa premit.
Ingenij virtus vrbis reuerentia noſtræ,
Solis ab occaſu fertiliora gerens.
Diuitiis animi cedit fortuna fauorem,
Virtutis tantæ copia vincit opes.
Hæc quæ ſint ſedes decoratæ oſtendit Olympi,
Et docet in menſa veſcier vna Iouis.
Iſta creat Reges, ducibuſq. animoſa triumphos
Præbet, & hæc ſuperis ſydere ſydus adeſt.
Hæc celebri aſcendit cœlos ſtudioſa paratu,
Hæc bona fortunæ ſpernere cuncta iubet.
Subleuat atq. humiles cœlorum ad præmia tanta,
Hæc homines pedibus nobilitate premit.
Omnibus in terris veneratur ſtemmate celſo,
Et penetrat ſummi Regis vtrumq. polum.
Nulla poteſt virtus fuluo mercarier auro,
Namq. homines omnes ducere ad aſtra poteſt.
Diuûm quicquid habet, nec fallit opinio verax,
Præmia ſunt lauri texta decore Iouis.
Permeat ergo ſuis radiis ſol æthera ſemper,
Semper erit virtus, & ſine fine decus.
Spirat Nardus ibi, peregrini & quicquid odoris
Orbis habet, virtus in ſua ſceptra tenet.
Hinc vates nectunt victricia tempora lauris,
Hinc vario Nymphæ ſertula flore legunt.
Induit hanc Pallas auratis veſtibus vna,

Quam ſudore dedit poſſe parare diu.
Omnibus in rebus ducunt mortalia finem,
Et redit in nihilum quod fuit ante nihil.
Omnia labuntur, regnat ſuper æthera virtus,
Eius poſt cineres æthere nomen erit.
Hæc iuuenes ditat ſacros, decoratq. poetas,
In numeris toto laudibus orbe fremit.
Hæc illa eſt, quæ præclaros ad ſydera duxit,
Ex patria reduces, laudibus eximiis.

Exhortatio ad Iuuenes.

QVid facias mundo videas, vt ſemper ameris.
Solus amor cœli eſt raptor, cur tædia quæris?
Eſt ſortis vinclum mortis, dum ſtare videris.
Sorte viæ dantur variæ, cur vana tueris?

Ad Iuuenes.

EFfugite o iuuenes mundi conſortia vana,
Id quod mundus habet, non eſt niſi vile cadauer.

Ad Antonium Perenoctum Cardinalem Granuellanum.

HEſperiæ ſalue decus immortale coronæ,
Neapolis Prorex, præſidiumq. ſalus.
Itala gens hodie celebrat tua numina faſtu,
Et reddit ſummo debita vota Ioui.
Quiſq. ſuum grato ſoluit pro munere munus,

Cepiſti

Cepiſti vt talem primus in Vrbe locum.
O grande Iliaci ingenium omni munere dignum,
Eſt verum magnum ſic voluiſſe Iouem.
O fœlix Latium, terra fœlicior omni,
Cui factum eſt tanto numine poſſe frui.

In maledicum.

EST tibi garrulitas, ſtudiumq. immane loquendi,
Eſt mordens nimium lingua canina tibi.
Peſtis erit nunquam, nec clade nocentior iſta,
Nec nocet hæc vlli, quam tibi lingua procax;
Lethifero rodit morſu, iuuéniſq., ſenexq.
Detrahitur linguæ garrulitate tuæ.
Hac odium venit, venit tam noxius ardor,
Quod præſtans eſſet perdere in orbe decus.
Inficit illa malum, demonſtrans dulcia fallax,
Ore ſuo lambit, cætera mortis habet.
Præbet in occulto crudelem vulnere mortem,
Et dirum virus dira aconita vomit.
Vnde malum exurgat didicit, cognoſcere cauſas,
Vnde etiam rixas miſceat, arte petit.
Pax inimica ſibi eſt, morſu perturbat amaro;
Tam docte ſtuduit fallere nata viros.
Hæc verbis loquitur blandis, fornace Megeram
Detinet vt ſociam, ſub Phlegethontis aqua:
Ad trebras iras vrbes impellit iniqua,
O ſcelus infandum Demonis abſq. modo:
Et vultu aggreditur læto; & ſe viuere ſancte,
Qua nocet inſontes marcida lingua viros:

Hanc precor immanis fallacem terra dehiſcat,
Hanc ſuperi noctem pellite, & hanc tenebram.

Ad Marium Equitem Vrſinum.

SVmere principium neſcit mea Muſa trophæis,
Vt poſſit numeris te celebrare ſuis.
Inſignis, pollens, celſus, deuotus, abundans,
Moribus, ingenio, ſanguine, corde fide.

In tumulo Fœlicis Faciutæ Diſticon.

TErra tegit terram, nam debent omnia terræ,
Sic opus eſt Fœlix, omnia nata mori.

In eodem.

HAc Fœlix dormit, vitam reparare figurans,
Occubuit viuens, viueret vt moriens.

In eodem.

Hæc tua mors morti mortem dedit, atq. trophæo
Mors victa eſt prorſus, mors ſine morte iacet.

De Cane, & Leone.

CVm Cane pacis inis leo fœdera? turpe ſuperbum eſt,
Quadrupedum Regem pertimuiſſe Canem.
Te excuſare nequis forti defenſus ab angue,

Cæſare, & a Chriſto qui tibi ſemper adeſt.
Auſus es his violare fidem? cur fœdera rumpis?
Qui Scythicæ victor fœdere gentis eras,
Dic rogo quæ fuerit tibi tanta inſania mentis?
Non eſt commiſſum maius in orbe ſcelus.

Selymi, & Alyni Dialogus.

SElyme, heu Selyme; Alyne, Alyne fidelis
Viuis adhuc? nō: cur loqueris? quia viuo: quid hoc eſt?
Mortuus in tenebris viuo; ergo es mortuus? immo:
Dic vbi es? in Barathro: & quid agis? te defleo: cur me?
Namq. Deus, Deus ille Aethræ te iudicat; heu me,
Dic vbi ſtat Deus iſte ſacris quem adolemus ad aras?
Fractus in Inferno: et quid agit? plorat ſua fata: quouſq.?
Donec terra iterum terram amplectatur, vt artus
Acceptus, poſſit lachrimis implere lacunas:
Quando erit hoc? caro quando omnis de morte reſurget.
Ergo reſurgendo mortales ſeruabimus artus?
Heu mors inuiſa ſic nos inuiſa reſoluis?
Sic nos ad mortem mors importuna trahendo
Nos cædis? morſuſq. acuens nos plectis inique?
Hoc merito patimur, merito tua fata ſubimus,
Qui verum, æternumq. Deum neglex imus, ille
Ille Deus, claſſem Ioniis euerſit in vndis,
Nempe Deus, veruſq. Deus fuit ille, potenſq.
Qui tenues auras ſubito incontraria claſſi
Conuertit, meaq. obuerſis dedit irrita fatis
Vota; Deum hunc trinum me credere oportet,
Vt cæli attingam ſedes, & laudis honorem.

Ad

Ad Fuluium Malateſtam.

AEdes ſæpe querens patrias Malateſta petiui,
Et veni ad veſtrum dicere limen, aue.
Et nec aue dixi, vt veſtra ſum ex æde profectus,
Si non vis meum aue, te rogo, ſume vale.

Ad Iulium Ferrum.

IVlius accepto Parnaſi ex fonte triumpho,
Aegiſonam lætus venerat ante Deam.
Quem vidit poſtquam, præcinxit tempora lauro,
Et dedit ex animo carmina miſta ſuo.
Mox ait his fretus, tenuem reſonabis auenam,
Et Regum grauibus fortia facta tubis.
Hæc docuit gracili te aſcendere ad arma virorum,
Bellaq; maiori dicere poſſe cheli.
Et noua Mænalio componere carmina plectro,
Et canere illuſtri facta ſuperbo ſtilo.

In altari noſtro maiori.

IN cruce mactatus, mundi pro crimine natus,
In ſe credentes, de ſe cibat huc venientes.
Ad verbum Chriſti, dum fertur ab ore miniſtri,
Fit res immanis, vinum cruor, & caro panis.

De

De Phylippo Rege, & Paulo Iordani Vrſino.

Q Vaſſa ſupercilio Martis terra omnis atroci,
Non poterat ceſſas ferre ſalutis opes.
Humanas ſternebat opes vesana libido
Regnandi, & cunctis pax inimica viris.
Vndiq. dira fames cogebat frangere rectum,
Frangere & Aſtrææ iura verenda Deæ.
Conuenit Regem poſtquam Iordanis Iberum
Aurea venerunt ſecula temporibus.
Pulſa fames, Martiſq. omni diſcrimen ab orbe,
Feceruntq. duo reddere cuiq. ſuum.

Ad Iuuenes exhortatio.

T Empore tempus abit, curſu rota vertitur anni,
Nec redit ad præſens quæ fuit acta dies.
Tempore tempus abit, properatq. inopina ſenectus,
Et mors venturos conterit enſe dies.
Tempore tempus abit, & paruo tempore quicquid
Eſt pulchrum, ſterilem vertitur in cinerem.
Tempore tempus abit, omnes mors vna fatigat,
Greſſibus atq. aliis quam cupis ipſa venit.
Tempore tempus abit, Parcæ ſua fila reſoluunt,
Nec parcunt vlli parcere difficiles.
Tempore tempus abit, fortunaq. paſſibus errans
Ambiguis, omnes depopulatur opes.
Tempore tempus abit, quid proſunt regna, vel vrbes,

Vanaq. nobilitas, puluereumq. decus?
Tempore tempus abit, virtutem amplectere, namq.
Ex imo virtus tollit ad aſtra viros.
Tempore tempus abit, miſeris ſuccurre iuuando,
Nil dare nam poterit, qui nihil orbis habet.
Tempore tempus abit, depelle caliginis vmbram,
Spectare vt poſsis luce probante diem.
Tempore tempus abit, Regem meditare Deorum.
Et fuge mortis onus, tempore tempus abit.

Ad Benedictum Cardinalem Lomellinum.

N*Vnc quia carminibus veneramur numina noſtris,*
Lomelline meos percipe, ſume modos.
Qui fidei cuſtos magni ſecreta tonantis
Excultus ſancta relligione doces.
Quid numeris referam? dic quid mea carmina dicent?
Saturni virides te rediere dies.
Heſperiæ comune decus, tibi plectra frequentant,
Immites poſſunt qui retinere feras.
Quis neget his dignum? quis te non arce remiſſum,
Qua inuiſunt proceres inclyta ſceptra Iouis?
Gaude igitur, precibuſq. deum venerare polorum,
Namq. tuum cinget trina corona caput.

Ad Iacobum Cardinalem Sabellum.

S*Alue purpureo præſul redimite galero,*
Mortales inter gloria & omnis honos.

Hoc

Hoc mea caſtalio Tyberina ad flumina cantu,
Clare Iacobe Dryas iam tibi præſtat opus.
Cynthius o facilem audenti mihi præbeat aures,
Nam fierent laudi conſona plectra tuæ;
Et Marios inter fortes grauitate niteres,
Et duo bellorum fulmina Scipiades.
Quid numen Fabij referam? mentemq. Catonis?
Inclyta per Latium iam tua fama volat.

Ad Marium Carafam Archiepiſcopum Parthenopæum.

INtuitu clara aſpiciens ego ſydera quondam,
Audiui cantum, mellodiamq. dare.
Audiui & vocem noſtras referentis ad aures
Aegiſonæ, & dulcis vox ſua talis erat.
Erectum eſt Marij nomen, per ſydera tranſit
Fama ſua, imperium cum Ioue certus habet.
Et nomen qua luminibus ſol verberat æquor,
Extulit, & magni mens erit iſta Iouis.
Eſto igitur lætus, fias quoq. pectore gaudens,
Solus eris tanti numinis omne decus.

Ad Iſabellam Medices.

NON poſſum celebrare tuos Iſabella triumphos,
Non poſſum laudes dicere Diua tuas.
Quis faciem dicet? pulchræ ſi gloria formæ?
Quis narret mores, moribus ingenua?
Angelicos mores, greſſus Diuûmq. reportas,

Palladis

Palladis affatum dote pudoris habes.
Actus ornati præbent me ad metra vagantem,
Tranquillum reddunt & tua verba mare.
Solaq. in auratis fulges ceu ſtella capillis,
Et velut eſt abies nigra ſuperciliis.
Et duo ſunt oculi fulgentia ſydera cœlo,
Paſtana facies purpureæq. roſæ,
Purpurei ore micant dulci tua labra coralli,
Et dentes ſuperant, quod parit Indus ebur.
Eſt culmen lactis pectus, duo pomaq. mammæ,
Atq. decent multum candida colla tuum.
Hæc manibus niueis pretioſas detinet vngues,
Inceſſo pulchro pulchrior efficitur.
O fœlix pictor quo tanta ornatur imago,
Quæ micat æthereis lucida ſtella globis.
O fœlix manibus digitos qui extendit eburnos,
Et nares radio pinxit & ora ſuo.
Quicquid conſpicuum, & mundo eſt laudabile toto,
Inter fœmineos hæc habet vna nurus.
Carmina ſola tibi debent, tibi debet & omnis
Nobilitas hominum, debet & omnis honos.
Te ſolum auratis qua fertur luna quadrigis,
Noſtra coruſcanti ſydere cymba canit.
O vtinam longos fatum mihi præbeat annos,
Sola erit in nomen garrula lingua tuum,
Numina dulciſono mulcebit Tibia cantu,
Aſpicereſq. graui pondere verba loqui.
O vtinam ſedem melius fortuna dediſſet,
Nam foret emiſſum nomen ad aſtra tuum.
Sed quia ſors fundo caſu me preßit acerbo,

Non

Non aliter potui ſcribere metra ſtilò.
Pieridum credas ſacros potabo liquores,
Et ſcribam vitæ facta probata tuæ.
Et donec viuam noſtro de pectore laudes
Deducam, & ſiquid dignius eſſe poteſt.
Sume igitur plectrum, noſtram precor accipe Muſam,
Diua tibi noſter maximus afflat amor.

In tumulo Fœlicis Faciutæ Epitaphium.

CVR gemis o genitor? mœſtas cur voce querelas
Fundis? cur tantis fletibus ora madent?
Fœlicem rapuit, ſortis grauis æmula noſtræ,
Hei mihi priſca fides, heu probitatis amor.
Ne lachrimes genitor, ſuperis mens addita Diuis,
Perpetuis Diuûm ſtat fruitura bonis.
Vixit hic in tenebris, viuit nunc luce reperta
Illuſtris, Diuûm ac paſcitur ambroſia.
Omne bonum, pulchrumq. videns, pulchroq., bonoq.,
Omne Dei pulchrum luſtrat, & omne bonum.
Cumq. boni fontem luſtrat ſplendore coruſco,
Et radiis rutilans, gaudet in arce boni.
Et nectar guſtans, ſummum intuiturus in æuum,
Fœnore centuplici cepit in orbe bonum.
Deſine rorantes lachrimarum ſoluere venas,
Nam fera mors illum duxit ad aſtra boni.
Si debes nato, triſtes depone querelas,
Orbe viret toto neſcia fama mori.

Ad

Ad Alexandrum Medices Archiepiſcopum Florentinum.

Nunc in Alexandri laudes, & facta relabor,
Qui vincit claros nobilitate viros.
Muſa decus præſta, magnum percurrimus æquor,
Nil tibi conueniens hoc magis eſſe poteſt.
Phœbus equis geritur, ſpumantia frena remittens,
Terga premit, cogit calcar vtrumq. latus.
Pro me ſi quando cecinisti ad Tybridis vndas,
Mox cane, & illuſtri percute plectra manu.
Nam non hic talis Muſæ eſt indignus honore,
Pange igitur nullo deficienda ſono.
Dicere Alexandri laudes ad carmina, crede
Hæc erit vna omnes anteferenda dies.

De bello Nauali.

Amiſsis Regina Paphi cum claſſe trophæis,
Quà ſolita eſt numero ducere ſæpe choros.
Hæc roſeis ſuffuſa comis lachrimabat, & alta
Sydera damnabat preſſa dolore Venus.
Crudeliſq. Iouis crudelia ſceptra vocabat,
Heu cui nulla Paphi cura ſuprema fuit.
Cypria dum ſpargit languentia lumina fletu,
Iunoni Aeolus occurrit in auxilium.
Bella parant, quæruntq. maris quoq. regna; trucidant
Arma armis, reſonant arma ſuperba freto.
Senſit vt Hyppotades Rex arma per æquora, in iram
Motus,

Motus, ſic ambos increpat ore deos.
Quæ tanta eſt ſuperi inter vos diſcordia? forſan
Vos maris inclitis regna fluenta Duces?
Surgite Nereides, date lympham, immergite remos,
Nam tales Diuos talia fata decent.

Ad ſuam ſororem.

DEſine cara ſoror, mundi fætore relicto,
Linquere terrenæ dulcia regna plagæ.
Sit tecum Chriſtus, totum qui poßidet orbem,
Et cœli variat qui decus ordinibus.
Eſt tibi virginitas, quæ non tibi munere paruo
Largita eſt, ſerua virgo pudicitiam,
Præmia ſunt cœli, noſtros ſuperantia ſenſus,
Quæ capere illuſtri virginitate potes.
Optimus eſt finis, finem hunc meditare ſupremum,
Ad finem hunc tendis virgo beata tuum.
Tempora ab initio ſuccedent proſpera paßim,
Et tibi delitias poplite quiſq. dabit.
Dat natura breues cunctis mortalibus horas,
Nec tibi erit ſecli certa tenenda dies.
Forma puellaris paruo corrumpitur æuo,
Et redit in duram tempore verſa cutem
Nec tua delitiis vnquam conuerſa voluptas,
Nec deſideriis conficienda malis.
Sæpe ſuos variare ſolet fortuna fauores,
Inſtabilis carpit quicquid in orbe viret.
Ergo via poteris recti, vel greßibus vti,
Vt tibi ſuccreſcat candida relligio.

Hæc via de tenebris te ducere ad æthera lucis,
Hæc te virgo poteſt nobilitare vale.

Ad Auguſtinum Rondonem terræ Abellæ Baronem.

ORpheus Inferni traxit dulcedine monſtra,
Et flexit manes carminis eloquio.
Tu furias mulces lingua Auguſtine feroces,
Et melicum dulci pectine tangis ebur.
Heſperiæ ſuperas vates dulcedine cantus,
Namq. dedere tibi carmina Pierides.
Pollice percuſsis tentas quoq. carmina neruis,
Eſt quibus in terris, & ſuper aſtra locus.
Ex te magna trahunt iuuenes modulamina plauſu,
Atq. tuos refert delphica Nympha modos.
Tu montes, tu ſaxa moues, tu carmine quercus,
Tu nemora, & vaſti cætera monſtra maris.
Plectra igitur ſileant cunctis veneranda camænis,
Vt tacet argutæ Pallados ingenium.

De Lupo interempto.

CVR lætantur oues? cur paſtor gaudia carpit?
Abſtulit infandum mors inimica lupum.
Cur ſic cantus erat aliorum ſuggere venas?
Vt pinguis maneat vermibus eſca rogo.
Ergo lætamur, medius nam viſcere fuſo
Increpuit, gaudens ſe dedit in tenebras.

Ad Eleonoram Toletam.

Frigida cum croceo ſolis velamine ſurgit
Aurora, & nebulas ſcindit, quas lumine traxit,
Obſtantes quamuis nebulæ per inane feruntur,
Nec grauitate carent, fulgentibus æthere ab alto
Luminibus tamen Oceani maria omnia luſtrans,
Aetherea luce infuſa, tenebriſq. fugatis,
Semper amat fulgens ſua mittere lumina terris,
At tu Diua potens Auroræ filia, Phœbo
Clara repercuſſo tenebræ pelluntur abortæ,
Et qua tres Charites animos domuere feroces,
Ceſſarunt Euri, & fluctu maris vnda quieuit.
Cur ſi natura eſt eadem, & datis igne calorem,
Et pariter telis tentatis pectora Diuum,
Siue Aurora micat, ſeu ſigna per æthera currit,
Seu tu iam Phœbi veſtigia cernis equorum,
Siue hominum Curas animo meditaris agreſti,
Cur lucem abſcondis? ſi lucem Aurora dat omni?
Dic cur æquali non in amore pares?

In tumulo Marci Antonij Epitaphium.

Si ſeruare cupis vitam poſt fata viator,
Affixa hoc tumulo perlege verba precor.
Hic iacio expectata mihi lanuginis ætas,
Nondum natiuis tinxerat ora pilis.
Marcus & ipſe vocor, primo ſublatus in æuo,
Non valui parcas effugere ipſe Deus.

Si puer extiteram paruo pro tempore quamquam,
Sed tamen ingenio, & cum probitate ſenex.
Serius, aut citius ad mortem currimus omnes,
Et nihil o lector viuit in orbe diu.
Diuitiis nemo credat, nec credat inerti
Formæ, namq. vna perditur illa die.
Viue igitur ſancte, fugit illecebroſa voluptas,
Et ſtabilem fugiens neſcit habere locum.
Hæc eſt, quæ recludit iter poſt fata perenne,
Illa eſt, quæ ſubito parta labore fugit
Reſpice quid fueram, quid ſim, quid fata dederunt,
Reſpice quid paruo clauditur hoc tumulo.
Namq. animo fueram validus, qui & corpore pulcher,
Nunc puluis factus, vermibus atq. cibus.

Ad Iſabellam Medices.

SI Medæa ferox hortenſia prata videret,
Et Coſmi ad cœlum nobile molis opus.
Si noua ſpectaret plenus feritate Lycaon
Atria, qua lento murmurat vnda vado,
Medææ horribilem dimitteret ira furorem,
Et traheret rabiem ex mente Lycaonia,
Et cum Phœbæi expandunt ſua lumina currus,
Viſere te traherent hunc Iſabella locum.
Læta quidem Euro laxares candentia vela,
Dirigereſq. vno remige ſola ratem.
Mens tua naturam ſemper ſcrutauit vtramq.;
Et maiora attendit ſydera carminibus.
Cur fugis excultæ flagrantia ſemina terræ?

Atq.

Atq. tuos Dryadum, Pegaſidumq. choros?
Hic nempe aſpicio pandit qui arcana Deorum,
Obſeruans cælum munere Pieridum.
Proſpectatq. meos Arni ſub margine verſus;
Et qui Pictarum nomine dixit aquas.
Hic ſunt qui totis incumbunt pingere neruis,
Et virtus animo præuia monſtrat iter.
Inclyta conſpicio veterum deducta Mineruis
Facta, quibus fœlix dos data tanta fuit.
Hic radiant Phydiæ peregrino marmore cultus,
Hic Veneris pulchrum munere fulget opus.
Hic video ante diem numen, quod traxit Apollo,
Cui deſunt Ori verba ferenda ſuo.
Iuppiter eximiam hanc molem feciſſe videtur,
Leſyppi in gypſo ſuſpicor ingenium.
Picturam Zeuxes, ſi non pinxiſſet Apelles,
Si non Vulcanus compoſuiſſet opus.

Ad Marium Tophum.

Pandite Amadryades mihi magnum Helicona ſoro- (res,
Sunt vbi recluſæ Bellorophontis aquæ.
Fert animus Marij ad cælos extollere nomen,
Plaudite, vel cytharis clangite Pierides.
Caſta faue, Diana tuus dum vertitur aſtris
Natus, quem Phœbo te genuiſſe ferunt.
Pauca canam, ſed digna fide molimina laudum,
Suſcipe, namq. ſcies, quis meus inſtat amor.
Sub teneris annis ad ſydera raptus Olympi,
Dulcibus incepi tangere plectra modis.

Et mea cum tenui meditabar metra ſuſurro,
Ponti erat ad magnum iungere littus aquas.
Et dum cantarem, flores erat addere pratis,
Et campis herbas, arboribuſq. comas.
Nunc autem ſterilis facta eſt mea Muſa canora,
Et raucos roſeo ſpargit ab ore ſonos.
Atq. nec ingenium Muſis eſt fauctor honeſtis,
Nec mihi reſpondet carmen, vt ante meum.
Qui prius in nobis, deceſſit ſpiritus ille,
Nec mentem nutrit ſpiritus ille ſacer.
Impetus ille ſacer nobiſcum qui eſſe ſolebat,
Et iunctum pulchro carmine carmen, abeſt.
Muſarum furor omnis abeſt, ſine more querelæ
Talia de noſtro pectore dicta trahunt.
Da veniam quæſo, noſtris ſi fræna caballis,
Et ſi noſtra ſuas Muſa remiſit opes.
Nam veniet numeris, qua tu celebraberis ætas,
Carmina de tantis fertiliora geres.
Vulnera quæ data ſunt, non ſunt mihi morte recepta,
Nec ſemper miſeris noxia plaga nocet.
Anxietas animi tenues vertetur in auras,
Et nec erit longus perpetuuſq. labor.
Spirabit flatum nobis fortuna ſecundum,
Et veniet tandem mitior vna dies.
Et puppem creber quam torquet in æquore fluctus,
Ad portum veniet per mare ducta ſuum.
Nunquam ſors ſtabilis, ſemper leuis orbe vagatur,
In certa eſt aura qualibet illa leui.
Fortunæ quamuis diræ nunc vulneror ictu,
Voluitur vt celeris ſors tamen illa rota.

Et

Et potero algoris de tanto exire dolore,
Et poterunt rebus gaudia in eſſe meis.
Tempore non omni pendent de vite racemi,
Nec flores omni tempore campus habet.
Non mœror ſemper, nec me meus angor habebit,
Ad finem tendunt noxia quæq. ſuum.
Quid dubitas? poterit nos met tua dextra tueri,
Quid dubitas greſſus figere Tophe tuos?
Eſt par officiis compos ſententia iunctis,
Obſeruatq. animæ fœdera quiſq. ſuæ.
Miles amat ſtudio haud paruo fera bella gerentem,
Et nautam proræ, nauta puppis amat.
Ruſticus agricolam, mulierem fœmina prudens,
Diligit & marem mas in amore parem.
Miles amat gladium, ventos cognoſcere nauta,
Tellurem agricola, at fœmina ſola virum.
At tu cui montis fœlicius vnda bicornis,
Et bibitur dulci nectaris ore liquor,
Sacra cole, & teneris vatem amplectere palmis,
Nam non eſt melior quó tibi ſurgat honos.
Dic, quid adire times? trepidum depelle timorem.
Noſtra tibi tantas Muſa miniſtrat opes.
Ac venient ſub iure tui noua plectra fauoris,
Quod cythara poteris commodiore coli.

Iter Reginæ Ioannæ de Auſtria Magnæ Ducis Hetruriæ.

Ad Lauretum.

TE egreſſam refluo, excepit Monſuarcus ab Arno
Diua Ioanna Choris.
Nobile quæ tenet Hetruriæ Florentia nomen,
Nobiliumq. genus.
Hac dedimus primo fœlicia lumina ſomno,
Membraq. noſtra thoro.
Deniq. & egreſſi Vndantem diuiſimus Ambram,
Flum naq. irrigua.
Et Vario lucem ſermone leuauimus, Vna
Non ſine Voce Charis.
Hic Carolum plectro magnum cantabat eburno,
Et ſua facta tubis.
Ille per æternum leges & Regna Philippi,
Auſtriacoſq. Viros.
Et Reges regnare æther dum ſydera Voluit,
Et Variat Vicibus.
Hetruriæq. Ducem magnum cum Principe tanto.
Fatidicis fidibus.
Et Venetum fœdus tantarum in turbine rerum,
Cum Iſmariis Ducibus.
Donec præſtauit, (turma ſtipante) cubile
Gens Aretina ſuum.
Hac iter aggreſſi Cortonam Venimus altam,
Cum pluuia & niuibus.

Ac velut effuſis tempeſtas imbribus atra,
Cum ſine more furit.
Terrarumq. orbis tonitru tremefactus, & Auſtris
Vndiq. concutitur.
Cum vapor aſcendit, ſubito ruit æthere ab alto
Turgidus imber aquis.
Currentes præter curſus, & temporis vſum,
Cum niue terra fuit.
Ver erat, & Maias vertebant aſtra calendas,
Luminibus tepidis.
Et terra ob partum, varios concepta colores,
Lilia cana dabat.
Narciſſiq. comas, flores, violaſq., roſaſq.,
Teq. Hyacinthe quoq.
Et meditans progne maturos garrula partus,
Nec viduata viro;
Implumem tignis nidum appendebat acernis,
Qua domus extruitur.
Et volucres dulci reſonabant æthera cantu,
Et metra blandus amor.
Paſtores reflui captabant murmura riui,
Cum grege lanigero.
Et nos cum riſu terræ, noua gaudia paſſim,
It ferebamus iter.
Tunc Ducis Hetruriæ fines, & liquimus arua,
Qua ferit vnda lacus.
Pontificiſq. ſolum, & dulces intrauimus oras,
Et loca Pieridum.
Hac nos coniunxit Miſſus, qua vndantibus intrat
In mare Tiber aquis.

Anti-

Antiſtes, cui mitra caput circundat, & armat,
Dignus in orbe coli.
Nec ſine compoſitis diuerſa per atria menſis,
Munere pontificis.
Qua rerum cauſas, & iura Peruſia profert,
Omnis in auxilium.
Corneus hac omnes rubro redimitus honore,
Cepit in hoſpicium.
Et iuſsit menſas epulis onerare miniſtros,
Et bona vina dare.
Hic menſæ rectorq. dator qua Cæſius, alter
Iam Patareus erat,
Quo non eſt Lepores., & carnem ſindere cultris,
Dextrior, & melior.
Incepit poſtquam poſitis accumbere menſis
Turba ſupræma virum.
Sermones cantu varios, & voce canora,
Mellodiamq. dabant.
Et cauſas ſenſi rerum memorare viciſsim,
Summaq. facta patrum.
Quo Deus anfractu, & gyro vaga ſydera vertit,
Qua rationis ope.
Sidonias cantando dapes (vt fertur) Iopas
Hac celebraſſe cheli.
Qua cœlum, & terras, qua ſydera lege gubernat,
Qualis & orbis honos.
Vnde hominum genus, atq. auium, genus vnde ferarũ,
Quis facit & tonitru,
Quo grando, & pluuia, & fulmen, quis fila tetendit
Aethere ſub vacuo.

Quis

Quis mundi baſes, vndaſq. appendit, & artes
Summa cohors memorat.
Fœderis atq. Ducem rupti celebrare Ioannem
Senſimus Auſtriacum.
Atq. ſonora nouo intendebant organa plauſu,
Talia cum canerent.
Auſtriaco Duce cæruleum naualis Henio
Ingreditur pelagum.
Vidit vt Hippotadem per cærula vaſta furentem,
Findite (dixit) aquas.
En ceſſat turbo, ceſſant Aquilone procellæ,
Et maris vnda ſilet.
Et Panope, & centum (Nereo genitore) ſorores,
Martia tela dabant.
Ridebat Panope, & ductrix ridebat Henio,
Nereideſq. Deæ.
Cum daret Ioniis ſinuantia carbaſa lymphis
Rex Scythiæ, atq. Aſiæ.
Et dote imperij diuerſas quæreret vrbes
Enſe, cruore, manu.
Et monſtrans Panope palmam de puppe, ferebat
Gurgite in Aonio
Quo fugis infœlix? noſtris præcordia nautis
Nunc dabis Hippotade.
Nunc fallax animi fallacia vota vocabis,
Noſter es Hippotade.
Hæc & plura ſuo reſonabant ore Camenæ;
Nec fuit orta dies
Nondum montanas Aurora fugauerat vmbras,
Sol nec equos tulerat.

Atq.

Atq. per Aßiſium templum conuenimus, in quo
Mater erat Domini.
Angelicis comitata Choris, hanc Diua Ioanna
Primitus hanc coluit.
Deuotumq. dedit ſolito modulamine carmen,
Atq. preces lachrimis.
In cœlum tenditq. manus, ac munera libat
Intemerata Deo.
Et dono illuſtri templum exornauit, & aram,
Muneribuſq. piis.
Placabatur inops donis, & munera egenis,
Pauperibuſq. dabat.
Septima ſed poſtquam ſuffulſit nuncia lucis,
Et leuis vna dies.
Inſonuit ſolito tunc claßica rauca receptu,
Nec fuit vna ſono.
Ire volunt omnes, ſternebant aera venti,
Nec dabat Auſter aquas.
Eſſe hic gaudent, & paßim omnes arua premebant,
Noctis & immemores.
Ecce iterum veniunt cum tempeſtate ſonora
Horribiles pluuiæ.
Vtre vndas dabat Aethra graues, cœlumq. ruebat
Fulmine terriſono.
Donec Fulgineum ſolitos præſtauit honores,
Luce fere media.
Fulgineum ciues pulchris mulieribus ornat,
Frugiferoq. ſolo.
Fulgineo egreßi, non abſq. caligine noctis,
Nona dies aderat.

Quando

Quando Camerinus ſedes impendit, & vmbras,
Et bona vina choris.
Obuia dum facta, comites Macerata recepit,
Atq. quies animi.
Dum caderent alto fulgentia ſydera cælo,
Et tacet omnis ager.
Et vaga per virides errant animalia ſyluas,
Et nemora alta comis.
Et rores armenta boum depaſta phaliſco
Læta per arua bibunt.
Cumq. repercuſſus animalia ſomnus haberet,
Hic ſopor almus erat.
Surgite plectra ciunt, lux nam vocat vltima cunctos,
Acceleremus aiunt.
Dirigite vnanimes celerem per paſcua greſſum,
Præcipitate moras.
Hic mora parua data eſt, quando furor omnis edendi
Venerat hoſpicio.
Fœcundas dat menſa dapes, & munera Bacchi
Floribus innumeris.
Dona ferunt omnes, omnes labor vnus habebat,
Atq. manu ſobria.
Orta dies Zephyris implerat vela ſerenis,
Solibus atq. nouis.
Hoc ideo cæli nos gaudia multa tenebant,
Herbiferiq. ſoli.
Sublatis dapibus, magnis Ducibuſq., rependit
Claſsica rauca ſonum.
Surgimus, ac omnis celerem rapit vngula curſum
Ambiguum per iter.

Et lætis tandem Laureti allabimur aruis,
Carmine, voce, ſono.
Laureti poſtquam miræ intrauimus ædes,
Qua data porta fuit.
Labimur in tantum miræ ſtationis honorem,
Atq. opus egregium.
Hic templum Mariæ ingens incolebatur, vt eſſet,
Candida noſtra fides.
Hæc domus eſt, in qua verbum Gabrielis ab ore,
Sumpſit & illud Aue.
Quam Deus incoluit ante omnia ſecula, ſummi
Miſſus ab arce patris.
Sumpſit & humanam ſancto de flamine carnem
Virginis ex vtero.
Vt primam ſparſo deleret ſanguine culpam,
Funditus hic opifex.
Paſſus in immiti Pilato iudice mortem,
Vinclaq. ſæua crucis.
Venturus iudex cum maieſtate ſuprema
Omnis in interitum.
Quos tulit è gremio terræ irreparabilis ætas,
Temporis atq. rota.
O fœlix domus incoluit quam certa ſalutis
Spes, via, vita, ſalus.
Maxima cui gradibus conſiſtunt limina, valuæ
Luce micant alia.
Argenti, atq. auri fulgeſcit lumine templum,
Carpimus vnde bonum.
Concurſuq. omni variis ex partibus orbis
Hic locus excolitur.

Et votis

Et votis precibuſq. piis veneratur ab omni
Magnanimo indigena.
Ad templum inceſsit iuuenum comitata cateruis
Diua Ioanna ſuis.
Qualis Parnaſsi ad ripas, aut per iuga ſummi
Dulcia Mnemoſynes.
Exercet Dyctinna choros, cui ruſtica parent
Numina, & Heſperides.
Talis vbi aſcendit media teſtudine templi,
Ante fores Mariæ.
Diuinum admiratur opus, dum ſingula templo
Luſtrat ouans oculis.
Vtq. Dei matrem vidit, concuſſa timore,
Talia voce dedit.
Virgo mater aue, te impleuit gratia Chriſti,
Eſt tecum dominus tellus cui paret & æther,
Es benedicta tuas inter celebrata puellas,
Atq. tui Chriſtus ventris ſine ſemine fructus.
Te precor alma parens, nobis orato Tonantem,
Dirigat vt noſtras in ſua regna vias.
Annuit omnipotens, quæ talia voce ſecuta eſt
Flebilibus lachrymis.
O ſator o genitor, cœli qui regna gubernas,
Nomen vbiq. tuum ſancto celebretur honore,
Adueniat regnum, ſedes ſupræma polorum;
Et velut in terris, fiat tua ſancta voluntas
In cœlis, hodie noſtro nos reffice pane,
Noſtraq. ſumme Deus nobis peccata remitte,
Hoſtibus vt noſtris peccata remittimus ipſi,
Nec tentare ſinas, nec nos inducere culpis.

Eripe noſq. malis cunctis, cunctisq. periclis.
Hæc vbi dicta, genu lachrimis curuata, Maria
Vota peracta dedit.
Obtulit & ſacra, & ſacris ſe pauit abunde,
Et dedit vna preces.
Atq. humili Chriſtum dominum cum voce precata eſt
Regia progenies.
O fœlix proles, fœlix Franciſcus, & Arnus,
Totaq. turba Procúm.
Tu ſola es Chriſti fautrix, & ſerua Tonantis,
Vera dei ſoboles.
Nil mortale ſonas, mortalia temnis, in alto
Gloria ſola tua eſt.
Stabit in æternum, nullo delebilis æuo
Fama, decuſq. tuum.
Imperij decor, & ſplendor, lumenq. iuuentæ
Purpureum Auſtriacæ.
Tu flos in campis ortus ſurgentibus aſtris
Floridus, & rubeus.
Tu fons illuſtris chriſtallo mundior, omni
Lucidiorq. vitro.
Nata patris ſummi, meritas quæ dicere laudes
Muſa diu poterit?
Clangere ſi vellem, caperem (te numine) noſtris
Viribus impar onus.
Si numerare licet ſtellas ſub nocte furenti,
Et quot habent radios.
Et flores quot campus habet, quot flumina guttas,
Et tenet Hybla fauos.
Tot meritas laudes omni virtute refectæ

Enumerare decet.
O gemma Eois miro ſplendore reperta,
Littoribuſq. Tagi.
Pactoli lapis inſignis, noua concha refulgens,
Atq. adamas renitens.
Dum via nos habuit, ſexus plaudebat vterq.
Vocibus innumeris.
Quis canat illuſtris, quæ gens Picena parabat,
Præbueritq. manu.
Flectebant omnes, ac ſi patrona fuiſſes,
Te ingrediente caput
Carmina quis referat, mores teſtantia raros
Verſibus imparibus?
Munera quis dicat? & captos vndiq. honores?
Blanditiaſq. ſimul?
Sparſaq. Picenis fumantia fulgura campis?
Imperiumq. datum?
Nobilis & vario quæ tradidit Vmbria fauſtu
Dona ſtupenda tibi?
Et tandem data diuerſis penetralia terris?
Chriſtophoriq. equites?
Conuenit qui te Laureti ad templa, refuſis
Solibus inter aquas.
Pontificis fuit iſte nepos, qui ſtemmate celſo
Obuius hic aderat.
Dum ſuperaremus terras, campoſq. liquentes,
Et fluuios celeres.
Turba equitum Tibridis partes accepit vtraſq.,
Vt medium per iter
Tranſires, miro aſpiciens tua numina faſtu,

Quod tibi tam placuit.

Quis recinat ſtudium? ventos perpeſſa niuales
Rupe ſub ancipiti?
Qui rabie exibant vaſtis de rupibus Appendini,
Et ſine more truces.
Tunc Auſter cepit ſtrepitantes imbribus alas,
Culmine præterito.
Tunc venere Nothi, & Boreæ nimboſa feroces
Attulit aura minas.
Bis noſtræ cecidere manus, bis vndiq. Damæ
Seſe ab equo dederant.
Quæ voce inſignes onerarunt æthera votis,
Qua ſtrepuere Nothi.
Qui toties traxere altos radicibus ornos,
Et virides Platanos.
Illic deuoto ſuſpiria traximus ore,
Et grauiora mala.
Ac dedimus multa lachrymis lamenta profuſis,
Verbaq. miſta Nothis.
Dum ſectaremur tardis veſtigia plantis
Culmina per varia.
Franciſci ſpecimen cœli iam corpore viſo,
Aſſiſiiq. pater,
Cui viridem inflexit Aluernæ in culmine montis
Arbor aperta comam.
Quo meruit noſtræ ſua ſtigmata ferre ſalutis,
Parta labore ſuo.
O pietas, o mira fides, quæ lumine ſparſo,
Ad bona tanta trahis.
O Deus, o pulchrum, mens o ſyncera quietis,

MA-

Maxima, & alma quies.
Vulnera ſi in intuleris, ſi vulnera tanta tuliſti,
Tu bona tanta facis.
Ad loca deſerti, redolens qua ſylua vireſcit
Abiete ſub viridi.
Frigida qua vaſtis rorantia cernimus antra,
Sunt tua mira locis.
Illic Franciſco d.us tanta oracula verbo
Ad pietatis opus.
Saltibus in mediis o fœlix aggere culmen,
Nobile, & egregium.
Syluaq. ſis fœlix multos optata per annos,
Auſtria quam petiit.
Atq. triumphantes noſtri petiere phalanges.
Nec ſumus immemores.
Aduentu gauiſa tuo noua gaudia ſenſit
Hetruria, & Latium.
Surgite Pierides, date carmine carmen amano,
Dum Phylomela canit.
Surgite, nam non ſemper erit cum nubibus imber,
Et ſine luce dies.
Lux clara adueniet, ſpirabit & aura Fauoni,
Et canet albus olor.
Tradite diuinas reſonantia compita laudes,
Surge Thalia modis.
Aurea pacatis ſurgit cum moribus ætas,
Et leuis aura ſono.
Aureus exurgit viridi de ſtipite palmes,
Egregiumq. decus.
Clangite, nam mundo paßim gens aurea ſurgit,

Et noua ſecla ſolo.
Ambroſiæ riuis, & flumina nectaris ibunt,
Mellaq. ſylua dabit.
Nunc alias luces, alium luceſcere ſolem
Aſpicies Erato.
Menſe pluit toto, radiat nunc luce coruſca,
(Te veniente) dies.
Ocia cur teritis? properate in carmina Muſæ
Naiades, & Dryades.
Hetruriæ nunc ridet ager viridantibus herbis,
Flore nouo ac tegitur.
Nunc vitrei excurrunt per prata flagrantia riui,
Et redolent violæ.
Non vaga per dulces errat nunc vipera terras,
Nec tumet vnda ſalo.
Horrida ceſſat hyems, ceſſat penetrabile frigus,
Atq. pruina fugit.
Arridet rediens nobis formoſior annus,
Terraq, læta comis.
Agricolæ e ſtabulis ducunt ad aratra iuuencos,
Deſtituuntq. caſas.
Et gregibus quærunt colles, & florida prata,
Commodaq. ipſa gregis.
Obſeruantq. pecus, rabies ne dira luporum
Nocte in ouile ruat.
Surgite nunc ſyluæ, & Diuam reſonate Ioannam
Cantibus eximiis.
Dicite dum refluit vndis bacchantibus Arnus,
Viue Ioanna diu.
Semper honos, ſemperq. omni celebretur honore
Nomen

Nomen in orbe tuum.
Ac veluti cum planta ſolet ſua germina ferre
Aera per calidum.
Sic tua maieſtas virtutem extendit, & artem
Carmine perpetuo.
Cœligena es, Dij certe te genuere Penates
Cæſaris alma ſoror.
Quis Chriſti obſequiis docuit te reddere plenam?
Et ſine conſilio?
Nempe Deus, verusq. Deus, Deus ille Deorum.
Trinus & vnus amor.
Veſtes quas ſocias duxiſti in itinere tecum,
In medio Eccleſiæ.
Illic in votum illuſtri cum munere reddis,
Conſilioq. tuo.
Illic deuotas præſtaſti ad ſydera palmas,
Talibus attonita.
Dona dehinc auro tribuit, cum munere ſacro,
Nec mora nos tenuit.
Soluimur inſomnos, Phœbi fert nuntia lucem,
Ingeminantq. preces.
Ardet amore dei, diuino ac fluctuant æſtu,
Mole grauata nurus.
Lætitia exultat, diuinum ingreſſa ſacellum,
Virginis atq. domum.
Tu certe es Chriſti haud dubio immortalis alumna.
Facta corona tua eſt.
Qua ſol illuſtrat radiis fulgentibus orbem,
Flore parata nouo.
Hanc etiam vellem duplicem ſine fine corollam,

Accipere accelerans,
Vna cum illuſtri Saraceno, & ciuibus Arni,
Qui fuit vnus honos.
Præcipue in rebus dubiis, & rebus agendis,
Omnibus vna quies.
Eſt vbi vita deus, æternaq. ſecula, dulcis
Et ſine fine dies.
Et ver æternum, diuini ac nectaris hauſtus,
Ambroſiusq. liquor.
Hac Deus Omnipotens ſacra te in ſede recondat,
Diua Ioanna Vale.

Ad Petrum Medices.

HAec Medices cecini ſpecimen tibi grande virorum,
Laureti donec templum conuenimus, omnes
Stemmate diffuſo exuperas qui mentis honores,
Inſignis virtute animi, & probitate refectus.
Pierides quamuis recinant te carmine Muſæ,
Accipe quæ veſtris geſtat nouus incola terris
Maieſtas Latij o ingens: ſum in littore cymba
Tot perpeſſa Nothos, vndiſq. agitata marinis,
Qua ferit Epyri exundans mare gurgitis oras,
Diruta, ſed lauro, & viridi circundata myrto.
Ad portum directa tuum me reſpice, porto
Munera Panchæis terris flagrantibus orta.
Aſpice, ne celeri ſpes irrita peruolet ala:
Magna canam credas, mortalia pectora cantu
Detineam, rogo ſis cytharæ per gratus eburnæ.
Carminibus mens flagrat ouans noua dicta referre,

Nondum

Nondum vulgata, exulta, ſi laurea digna
Fronte viret, faueas, tecum nam regnat Apollo.

Ad Claudium Equitem Saracenum.

LAureti donec tendit Saracenus ad oras,
Vt videat Mariæ templa ſacrata Deæ.
Aeole piſcoſas depelle caligine nubes
Et triſtes atro carcere trude Nothos.
Sanguine nam effuſo niueis tibi pellibus agna,
Ante tuos dabitur victima ſacra focos.
Aeolus adſenſit, nubeſq. repulſit ab alto,
Veneruntq. nouis lumina ſyderibus.
Hic ad te veniet Florentia dulcibus aſtris,
Nam ſol vmbroſum fecit abire diem.

Ad Ioannem de Auſtria pro nauali Victoria.

DIſce puer meliora ſequi, o fœlicibus arbor
Plantata in terris fructibus orta nouis.
O fœlix arbor tales dans germine fœtus,
Arbore & o dulci dulcia poma ferens.
Diſce puer meliora ſequi, vt meliora canamus,
Fortia diſce animo facta parare tuo.
Macte animo illuſtri, vaſtum ſic ſcinditur æquor,
Sic pelagi parua ſcinditur vnda rate.
Sic tua puppis erit ponto fundata profundo,
Sic virtus radio extollet operta caput.

In Selymum Regem Turcarum maledictio.

SElyme infœlix qua te ratione putabas
Tollere qua biiugis fertur Apollo ſuis.
Non ſatis æquor erat, curru qua ſurgit Eoo,
Et qua ſol recubat fortior actus equis?
Dic quæ tanta Duces tetigit veſana Cupido
Regnandi? & quæ te barbara pernities?
Vos iaculo diro, & telis iaculabor acutis,
Vos feriam linguæ morſibus horribilis.
Agmine vos vidi toties nos tendere contra,
Retiaq. in mediis diſpoſuiſſe viis.
Noui ego quæ ſeritis, quæ nocte, dieq. paratis,
Et ſcio ſub dulci melle venena tegi.
O quoties cecidi, & finxi me longius ire,
Nec ſentire doli quod ſtruebatis opus.
Vulgatum eſt dictum, quod ſi mala parturit arbor,
Non poterit fœtus, & bona poma dare
Non alij poterant naſci de patribus illis,
Nam qualis pater eſt, filius eſſe ſolet.
Sola arbor monſtrat ſpeciem de germine fructus,
Sola arbor dulcis dulcia poma gerit.
Quid dare nam poterunt mulorum ſtirpe creati?
Ingenium, & vires ad mala cuncta dabunt.
Nunc lima incipiam linguæ mordacius vti,
O faueant precibus numina ſancta meis.
Fiant vt tenebræ æterno ſine lumine noctis,
Fiant vt paleæ, quas leuis aura vehit.

Diraq.

Diraq. pacificas miſcentes tela per vrbes,
Pacem habeant rapido, vt qualibet agna lupo.
Viuant, & ſemper laqueis teneantur opimis,
Vt ſemper poſſint morte perire graui.
Et Tityj mortem patiantur coniuge priui,
Amittet vires vita relicta ſuas.
Fiant vt Niobe, vidit quæ funera tanta,
Et natos videant funera acerba pati.
Funeris officio careant miſerabilis omni,
Et mortis cauſas funere multiplicent.
Spicula vipereo vitantia felle limbant,
O poſſint culpas notificare ſuas.
Sint ſemper miſeri, careant qui lumine Phœbi,
Et careant flatu præueniente Nothi.
Telluris careant herbis, & piſcibus vndæ,
Et ſalſis vaſtum quas habet æquor aquis.
Perluſtrent inopes alienaq. tecta ferarum,
Inueniant nullos ore tremente cibos.
Læteturq. malis vna cum flumine Melphis,
Et mala quot dederint plurima, plura ferant.
Atq. ſinoniaci craſſi, vetereſq. bilingues,
Guttura ſunt quorum fœda ſepulchra, cadant.
Nequitia turpes, toruaq. ambage proterui,
Fœmina de tantis rara pudica fuit.
Quo muli genus immiſtum venere biformes,
Et Pelopis clarum, Tyndareiq. genus.
Si canere incipiam tantæ primordia gentis,
Deficiet verbis carta notanda meis.
Non poſſum fines tranſire Selyme tuorum,
Verba licet decies multiplicata loqui.

Fœda venenati carpent ſua membra colubri,
Et fiant Phaleris anguibus eſca recens.
Et ſcindet morſu Tygres, rapidiq. leones,
Sanguinori carpent & ſua membra lupi.
Carnificum inuadant laqueos, plaudente cohorte,
Terraq. de ſciſſo reſpuat oſſa rogo.
Et per diuerſas errent ſua regna paludes.
Eſt vbi quam portant Belides vnda nurus.
Tantalus eſt illic ſtygiis moriturus in vndis,
Semper egens, quamuis ſemper abundet aquis.
Et Tytius, vultur cuius ſua viſcera rodit,
Et voluens lapidem Syſiphus, atq. petens.
Sic veſtrum a furiis ſcindetur corpus iniquis,
Pernitiem vt poßit quiſq. referre ſuam.
Mille modis laceret veſtros canis ignifer artus,
Mille modis ſcindent viſcera veſtra canes,
Et dare poßitis feruentibus oſſa flagellis,
Tyſiphonæ feruens eſt vbi riuus aquæ.
Veſtraq. per largos ſpargentur viſcera campos,
Nec tegat in gremio mollis arena ſuo.
Tot mala ſubueniant vobis, quot campus ariſtas,
Et tenet æthereos lucidus æthra globos.
Tot mala non poßint Latij memorare Poetæ,
Et nec Arabs linguis, ore nec Heſperius.
Oraq. nec valeant hominum, nec prata, nec agri,
Non mare, non tellus, ferre nec ignis edax.
Nec mala mors æquet fluitantia turbine cæli,
Et finem tantis non dabit illa malis.
Opprobrium populi, veterum ſentina malorum,
Vos eritis viui vermibus eſca rogo.

Eſtis

Eſtis nam digni viuentes morte perire
Infanda, & viuum vos dare corpus humo.
Vos vtero quando matrum natura vocauit,
Abſcondit lumen pulcher Apollo ſuum.
Et Venus ingemuit, tribuit nec Lucifer ortus,
Sed Mars irato plurima verba dedit.
Juppiter ac iterum voluit depellere patrem,
Sub quo nunc eſtis ſydere carnifices.
Vos vidit poſtquam bubo nocturnus ab vndis,
Funereum vobis protulit ore ſonum.
Eumenideſq. Deæ vnda vos lauere paluſtri,
Nutriuitq. orci lacte Megæra canum.
Miſcuit & rabiem Phlegethon, qui guttura torquet,
Et pectus miſtum felle perunxit atrum.
Eſt corpus totum nigra ferrugine tinctum,
Ceruinumq. caput, membra Leonis habent.
Arpiæq. manus, viridis ſunt crura Draconis,
Serpentiſq. pedes, atq. lacerta canum.
Et vultus Erebi, atq. tenent nutricis ocellos,
Opprobrij facies omnibus vna fuit.
Dicere cur omnes lugubria verba timetis?
Cur mala de gemitu pocula ſuſcipitis?
Surgite de gemitu. ferales ſumite veſtes,
Acceſſit veſtri funeris officium.
Namq. ego cum fletu mœſtus lachrimabo parumper,
Et cogent oculos tot mala flere meos.
In vos imberbes pueri, iuueneſq., ſeneſq.,
Et plaudet manibus quæq. puella ſuis.
Vos regat impietas, ſæuus vos vulneret Enſis,
Miſceat vnguento dira aconita parens.

Ingens

Ingens de veſtro eniteat pulmone cicatrix,
Audiat, & nunquam terra ſuperba preces.
Vt Phalari, telo vobis ſit lingua reſecta,
Atq. malis cornix vota ſiniſtra ferat.
Clamorem effundant omnes ad ſydera raucum,
Et lachrimis palmas verberet omnis homo.
Luſtraq. diſperſi rapiant, vt tradere poßint
Quolibet exilij nomen in orbe malum.
Et patrum dira poßint memorare ſuorum
Facta, quaus poßint dilacerare comas.
Nec valeant vnquam morbo reperire ſalutem,
Et requies tantis non erit vlla malis.
Tempore ſic omni poßint errare gementes,
Vt faciant lachrimis marmora flere piis.
Finitum nunquam poßint reperire dolorem,
Viſaq. cum gemitu ſint ſua damna meo.
Nec ſedare anni valeant ſua vulnera mentis,
Et quæ priſca abſunt, ſint noua flagitiis.
Vt Scylla euadant, qui latrat in æquore monſtrum,
Et velut infeſta parte Charybdis eant.
Illos Thermodon, & voluant ſaxa Cynaphes,
Et crebro magnus vertice Danubius.
Sint ſimiles ſtagnis, & præda paludibus ingens,
Copia ſint laticum, ſint pelagiq. minæ.
Nam ſæui quam ſint, vincent feritate Phylacem,
Et furor exagitans detur in opprobrium,
Quicquid Amanthorides paſſus, iam plura per æuum,
Afflicti, cæci repperiantur, erunt.
Vndiq. & a furiis Barathri crutientur adactis,
Nec ſua Pæantis ſint grauiora malis.

Vt

Vt comedunt, dulces feriens ſit vipera carnes,
Ceruarum in potus vbera amara bibant.
Exitio corpus portent, faciemq., manuſq.,
Vt natus Glauci qui ruit altus equo.
Et ſicut Phaethon curru qui decidit alto
Eridani lymphis, tactus ab igne Iouis.
Ob ſcelus infame immani ſit gloria vulgi,
Nec ſit qui lachrimis obrutus ore gemat.
Antai caſus referant, iam lumine caßi,
Pelleq. diuerſis excoriantur equis.
Sciſſaq. diſrumpent omnes ſua membra volucres,
Et poſt a canibus tracta, ferantur aquis.
Et poſt fracta, ſecent pelagi ſua viſcera piſces,
In glacie corpus dilanietur iners.
Attilij mortem, & Thamyra, Eurialiq. ferocem,
Inueniant fati fila caduca rei.
Intereant veluti Aetnaus, Pyrrhusq., Pheraus,
Qui ſæuo vxoris tactus ab enſe perit.
Hectoris infames crudeli morte quieſcant,
Oſſaq. per varias ſint ſua ſparſa vias.
Et iaculo Aeacida diri moriantur adacto,
Nec ſcelus infandum dißimulare queant.
Cantaridumq. bibant nigros ſua pocula ſuccos,
Et poſt ad pelagi proiiciantur aquas.
Vltores rapiant hos per loca ſcrupea fures,
Et nuda eiecti deſtituantur humo.
Et ſcopulis pelagi figantur buſta parentum,
Dentur & in prædam qua Diomedis equo.
Sintq. rotis rapti, celeriq. per aera tractu,
Maturent veſtros littora vaſta dies.

Sint

Sint pulchræ vxores, caris gratentur amicis,
Atq. inter tantas lüdere poſsit amor.
Erubeant ceu Tydæus, cui defuit vxor.
Lætentur Talai, Tyndareiq. nuru.
Coniuge nec poſsint vnquam gaudere fideli,
Biblidos vt Canaces ardeat omnis homo.
Qui lingua rodunt, teneantur ab igne ſorores,
Sint Danai natæ, ſit Pelopeia ſoror.
Filia ſit Pterela, ſceleri ſit Scyllaq. Nyſo.
Et qualis patri Tullia nata ſuo.
Vt Phryges pereant, cari duo mortis amici,
Sed non Iſmariis gloria tanta viris.
Therodomas vos conſtringat violentus in vlnis,
Et ſub cliuoſo vertice Sphynga voret.
Mergat & hos Pœnus, rapidis dum corruit vndis,
Et pereant veluti tot periere proci.
Pertulit vt mortem, patiantur ab Hercule fuſi,
Nomina ſed fœdis fœda tegantur haris.
Antæi lucta, Neſsiq. per Herculis ictum,
Occiſi pœnas experiantur atras.
Sicut auus Pelei Scyron Telemonis amator,
Et ceu Procuſtes, Cercioneſq. Thraſus.
Qualis & Aſterius, qualiſq. binominis ara,
Mors Iri (fato vindice) ſemper erunt.
Menſa Lycaonis fiant, & præda barathri,
Atq. fame extincta conficiantur acres.
Et qualis fatum Tydæi, aut qualis Atrei,
Natorum menſis, ſic cibus vnus erunt.
Vt ſcynis arboribus curuati perdere vitam
Poſsint, & teneant vincula dura manus.

Mem-

Membratim illorum corpus truncetur in ara,
Sint vt Diſsimanes, Diſsimaniq. gener.
Criminis Antiphates, & ſit Leſtrygona iudex,
Caſſandruſq. atrox, Aeacideſq. ferus.
Crudeli pereant Caſſandri morte nefanda,
Informe irato iudice funus erit.
Mergantur fœda, ſpurcaq. voragine limi,
Ad quorum veniant numina nulla preces.
Vos feriat gladio, ſicut Thymbræus Oſyrim,
Pertulit & quotquot vulnera, totq. ferant.
Carpet equus ſonipes iratis dentibus artus
Et poſt ſint nemorum non mala præda feris.
Atq. Iouis telo fodiantur corda triſulci,
Vt Macedon, Phaethon, aut Onoeſq. ſoror.
Et dira infamis feriatur ab aſpide cæſa
Ne poſsit mordax lædere lingua viros.
In ſtygiæ tenebris feriantur ab angue paludis,
Vt puer Hypſiphyles, Eurydiceſq. decor.
Vtq. Crotopiaden canibus lanientur aduſtis,
Et velut Elpenor raptus in alta cadant.
Et ceu Thiodamas atro ſint præda Draconi,
Dummodo natorum nomina nulla ſient.
Et ſicut Cacus miſsi mactentur ad orcum,
Vt ſaxum iactum, præcipiteſq. ruant.
Et velut Ageus, natuſq. vel Hectoris alta
Qui fuit a turri præcipitatus aquis.
Atq. vt Paphegeas patriis populentur in aruis,
Ad corpus currat fœta leæna ſuum.
Vt ve Lycurgiden crudo eſt diſcerptus ab apro,
Sic illos morſu maxima turba petat.

Et poßint

Et poſsint Melphis paſsim circundare muros,
Corpore proſtrati proiiciantur humo.
Morbida ſyluarum ſint fixa cadauera truncis,
Poſt auidis fiant morſus adulter apris.
Tot mala ſubueniant, crudeli vt morte coacti,
Viſcera dent flamma fœda cremanda pyris.
Veſtraq. in Ilicibus carpantur corpora ſaxis,
Obruti, in Auſoniis inueniantur agris.
Cauſa erit exitij, inſtabili cum coniuge fœdus,
Connubio inſomnis Eupolis vt periit.
Vt Thæbis Lacer eſt ſparſus, ſpargantur arenis,
Ad cor perueniat fixa ſagitta ſuum.
Vtq. Lyci coniux, tauro retrahente, ferantur,
Per iuga, per valles oſſa reſecta cadant.
Membraq. Mycreni gladio mutilata feroci,
Trunca ferant, contis oſſaq. fracta gerant.
Et ſubeant varios morſus, varioſq. dolores,
Potniadæ vt ſubiit Glaucus inermis equæ,
Vtq. procax guttur mordenti eſt clauſus Acerno,
Sic vocis laqueo ſit via clauſa ſuæ.
Probra luant; veluti Thelephus Lyrneſius vrna,
Nec mala ſint Brotei, nec leuiora Lici.
Oſsibus, & neruis genus hæreat omne malorum,
Membraq. transfigant putrida tela faces.
Iactaq. per terras, pila minuantur in omni,
Et reſonent veluti ſacculus ære ciens.
Vt puer Hyppolitus veneris damnatus ab ira,
Diuerſæ in partes excutiantur humi.
Longaq. ſint vitæ, longæ quoq. tædia mortis,
Diripiantq. artus per nemus omne Leo:

Vt Bactus,

Vt Baclus, durum in ſaxum mutentur obortum,
Illudatq. omnes vngula ſæua lupi.
Natus vt Altea ardeſcant in ſtipitis igne,
Et Medea velit mittere ligna focis.
Peſtiferum virus fœdos diffundet in artus,
In formas varias vertere poſsit, eant.
Fulgure coniecto fodiantur pectora cœlo,
Et data lex pœnæ iuſta ſit iſta ſuæ,
Nec fratris Antæi ſomno meliore fruantur,
Naupliadæ pœnas, atq. luant facinus.
Quid plura attingam modulis deducta ſerenis?
Enſe recidenda eſt putrida facta caro.
Noxia ſint illis arma, & ſine lege pharetræ,
Noxia ſint illis acria bella Ducum.
Noxia ſit virtus, cordi ſit noxius ardor,
Noxia ſit tantis vncta ſagitta viris.
Hæc & plura illis poſsint ſuccedere paſsim,
Et quanta inieci ſpicula, tanta ferant.

Ad Marcum Antonium de Horia Melphiæ Principem.

FOntibus è ſuperis erumpunt Marce liquores,
Vnde dabunt meritum carmina principium?
Per iuga, per ſyluas, & per nemora alta, paludes,
Te quæro ad plectrum clangere Pierium.
Eſt operepręcium melico te dicere verſu,
Tendere & inſignem rurà per ampla chelim.
Sed quis ſufficiet Phœbæi lampadis aſtrum,

Et laudis claros carmine ferre ſinus?
Concinite hunc omnes Muſæ, date laudis honorem,
Non ſunt ad tantum carmina noſtra virum.

Ad Eleonoram Toletam.

PArnaſsi qua vnda exurgunt prope Palladis hortum,
Sunt loca Dyctimnæ multa dicata Deæ.
Hic nomen poſuere tuum Eleonora Camœnæ,
Et tua præclaris ſtemmata carminibus.
Huc adſis Eleonora, vndæ quà murmure currunt,
Et quà Pieridum iam chorus omnis adeſt.
Si certe venies in amæna vireta, Thalia
Te canet ad cytharam verſibus eximiis.
Hortus erit pulcher, nuſquam fœcundior iſto,
Vndiq. fœcundis conſitus arboribus.
Floribus hic variis, varios emittit odores,
Dulcibus vt locus eſt, dulcis abundat aquis.
Et cum floreſcunt ſyluæ, Phylomelaq. valles
Intonat, hæc lentis murmurat vnda vadis.
Dum quatiunt lento ripas cum murmure lymphæ,
Dumq. ſerenato lucet in orbe dies.
Thaumantis proles vario veſtita colore,
Inſpicitur ramis diſcolor arboreis.
Frigidus hic fons eſt, quo non eſt mundior alter,
Cui cedat gelida vitreus Hermus aqua.
Hic lætas ducunt choreas ad carmina Nymphæ,
Hic adſunt ludo, Gratia, Muſa, Venus.
Hic dulces fremuere tubæ, ſonitumq. dedere,

Et cytharæ magnis obſtupuere ſonis.
Hic Merulus dulces modulatur gutture voces,
Coniugeq. amiſſo flet Phylomela diem
Hic eſt Padula aſtrorum ſcrutator, & Aethra,
Et legum, & terræ viſcera concipiens.
Iulius hic ferrus, mihi iunctus amore, ſonora
Qui docet altiſonæ tangere fila lyræ.
Hic ſua plectra mouent Charites, & cætera montis
Numina, quæ riuus murmure ſurgit aquæ.
Totaq. Theſpiadum pulcherrima turba ſororum,
Decantant colles, Pieridumq. ſacra.
Hic adſis Eleonora, tuus te expoſtulat Hermes,
Pangere qui verſus, & dat ab ore melos.
Hic eſt Concinus ſummis ex partibus Aetræ,
Dignatus patrios nunc habitare Lares.
Et qui cognomen duxit Serguida canorum,
Fulgidus ex omni munere, & officio.
Quo non eſt melior, nec noſtros inter amicos
Præcipuus, conſtans omnibus vna fides.
It qui Pierides tenuit Malateſta choreis,
Excepitq. ſuo Naiades hoſpicio,
Hic ſunt tres Charites quæ flore fruuntur auito,
Inter quas Cæſar Titicus emicuit.
Gambara cum plectro ſua carmina cantat eburno,
Hinc alij vates fortia facta canunt.
Hic canit in terris, & quod ſpectatur in vndis,
Ille canit magni lucida ſigna poli.
Hic cauſas rerum, & cœli conuexa recenſet,
Quis ventis pondus, quis ſua iura dedit.

Quis legem pluuiis, vndaſq. & culmina cœli,
Perſtringunt alij pondus vtrumq. ſoli.
Et quis menſuras poſuit, ſub baſeq. terras,
Et quis fila ſinu traxit in Auſonio.
Rupe ſub ingenti reſonant ſub fronde Cicadæ,
Gambara qua virides carmine traxit agros.
Aſpicies armenta tuis errantia campis,
Et per prata omnes paſcere læta feras.
Hic eſt Terpander, cur tempora inania differs?
Cur fugis, accelera, nec mihi necte moras.
Huc ades, Heſperiæ magna eſt tua fama per oras,
Aeternumq. tuo pectore numen habes.
Veridicum Muſæ cœperunt dicere cantum,
Qua nemus illuſtrat viſus Acydaliæ.
Magna parant, tantos adſis viſura triumphos,
Lauderis tota ſemper in vrbe frequens.
Syluani tantum ob meritum, Fauniq. bicornes,
Imponent capiti florida ſerta tuo.
Et tuus omnis amor virtute illuſtrior omni,
Conſeruet virides in ſua iura comas.

In Fontes Pictarum Franciſci Medices
Magni Ducis Hetruriæ.

Ad Carolum Pictum.

QVI me de Pictis Pictarum nomine dixit
Fontem, inſigniuitq. locum cum diuite cultu
Ornatum,

Ornatum, mulcet quem cantu Phylomela canoro.
Inſignem molem, hortos, & nemora alta, locumq.
Hetruriæ Nymphis vna cum fonte ſacrauit.

In Fontem alium.

QVAE fuerat Picti, ſyluis flagrantibus, vnda;
Pictarum è magno nomine nomen habet.
Hac qui carpis iter, triſtem depone pharetram,
Serta amat; & virides vitrea lympha comas.
Mox bibe, & his alta noſtris cape ſomnia ſyluis,
Nam vaga non errat, nec latet aſpis aqua.

In Fontem Caprarum.

DVM Capra effundis vitreos ex ore liquores,
Murmura ab effuſo rauca liquore refers,
Sed qui te irriguam cryptæ hoc in fonte locauit,
Delitias animi ſumere poſſe dedit.

In Eundem ad Claudium Equitem Saracenum.

HIc leuat vnda ſitim, huc propera Saracene, videbis,
Maxima cum paruis ſydera ſyderibus.
Hic leuat vnda ſitim, fulget cum ſydere ſydus,
Et dant concentus ſydera ſyderibus.
Hic leuis vmbra manet, capra effundente liquorem,
Et facit optantes murmure murmur aquas.

Hic leuis umbra manet, dulci cum murmure carmen,
Murmure ſit murmur, carmine carmen adeſt.

In Eundem Diſtichon.

SI cupies labia in vitreis attingere lymphis,
Eſt in Pictarum frigida lympha locis.

Ad Iuliam Molarem.

CYpria cur puerum cædit? quia perdidit arcum:
Et quis ſurripuit? Iulia luminibus:
Ceperat hæc forſan? dedit hic: cur? lumine captus,
Crediderat veneris ſe dare luminibus.

In Melibœum.

SI Melibœe fores primis natalibus ortus,
Qua leuis Idalium perſtrepit aura nemus.
Et vaga ſectares veſtigia Cypridis arcu,
Cingeret atq. humeros candida palla tuos.
Et manibus gereres pharetram, per ſydera iuro.
Cypria te natum diceret eſſe ſuum.

In Tumulo Ioannis Donati Epitaphium.

SCimus quam vario incedat fortuna rotatu,
Et quanta inſtabili diſsipet illa pede.

Scimus

Scimus quam vario diſcrimine cuncta ferantur,
Et dura mortis conditione premi.
Scimus ſolum oſſa Donati abſumere Parcæ,
Et ſolum hæc cineres Vrna tenere ſuos.
Nam meliore ſui viget omni ex parte ſuperſtes,
Fruſtra igitur Parcæ ſtamina conteritis.

In creatione Gregorij XIII. Pont. Opt. Max.

NIL *eſt quod metuas quem appendit Roma Draconē.*
Aſpectu horribili gens tibi terribilem.
Nam requies, erit & propriæ tibi cauſa ſalutis,
Si Draco mortalis ſigna timoris habet.

In Eundem Diſtichon.

T*E Draco gens timet, at pellat gens iſta timorem,*
Quo feris abſciſſum eſt, quo tueare, tenes.

De Max. Imperatore.

M*Ars terris, Neptunus aquis, & Iuppiter aſtris;*
Omnibus his miſtum Maxime numen habes.

De Coſmo Medices Magno Hetruriæ Duce, & Franciſco eius Filio ſucceſſore.

Omnia tuta vides, Coſmo Duce, perge viator,
Montibus in noſtris omnia læta vides.
Omnia læta vides, omnes dant gaudia paſſim,
Per maris anfractus omnia tuta vides.
Nunc Duce Franciſco, Coſmo moriente, viator
Omnia tuta vides, omnia læta vides.

Ad Franciſcum Medices Magnum Hetruriæ Ducem.

Vix mea Parnaſſi deſcenderat arce Thalia,
Et me replerat verſibus innumeris.
Cum canerem laudes, aurem mihi Muſa ſonoram
Vellit, & hoc dixit, diſce tacere, canam.
Muſa ſtupens loquitur, velut hæc in verba ſoluta eſt:
Franciſci hæ laudes. Arma, virumq́ cano.
Hic etiam Hetruriæ venit qui primus ab oris,
Tollere ſuffulgens nomen ad aſtra ſuum.
Audiui poſtquam verborum vota, receſſit,
Amplius haud ſenſi laudibus auſa loqui.
Tota meæ virtus obmutuit aurea linguæ,
Nec potuit quicquam ſe prohibente, loqui.

Ad

Ad Ferdinandum Medices Cardinalem, de morte ſui parentis Coſmi Medices Magni Ducis Hetruriæ.

E Loquar, an taceam Fernande? exaſpera mortis
Fata querar, tãtum auſa nefas? quæ carmina plectro
Effundam, vt poſſim Coſmi perſtringere geſta?
Eſt virtus animi excellens, & pectoris ingens
Gloria, quæ vitæ ſeriem, nomenq., genuſq.,
Ingenium, atq. animi dotes eduxit auitas.
Quid querar? heu fugiunt Coſmum iam ſpicula mortis.
Mors morti mortemq. dedit, mors mortua tantum eſt.
Viuit iam Coſmus virtute inſignis & armis.
Coſme adſis, rogito, nam tecum ſum ire paratus,
Quocunq. ipſe viæ tentare pericula poſſum.
Me comite, heu poteris veſtigia figere tutus,
Et clarum egregiis te ferre ad ſydera factis.
Interea Fernande agitas dum in montibus æuum
In mare quà fertur tumidis vetus Albula lymphis,
Ad mea verba tene aures, nam patris omnia vertunt
Facta Deæ, memores rapidus quà defluit Arnus.
Dum decora alta domus Medicum, ingenteſq. triumphos
Certatim cantant, quamuis modo liquerit auras
Mortales Coſmus, ſecum tamen omnia vertit.
Cui toties decus inuidit gens effera bello,
Quæ ſyluas habitant Rheni, celſamq. Pyrenem.
Tu tamen intentus tanto Fernande dolori
Parce tuo, & tecum mortalia pectore verſa.

Mors

Mors Coſmi hanc orbis molem ſine luce reliquit.
Eſt comune mori, tantum depelle dolorem,
Et cautus vitæ fragilem precor aſpice ſummam;
Dum ſequeris curui veſtigia temporis inſtans.
Confectus ſenio genitor memoranda reliquit
De ſe multa tuus, quæ non Patareus Apollo,
Et nec qui fidibus Rhodopeia culmina, & alti
Deduxit ſyluas Hæmi, firmauit & Hebrum.
Dum verſu teneros Diuæ cantabat amores.
O mihi facundi præſtaret Neſtoris annos
Iuppiter, & riuos liceat de fontibus Oethæ
Aurire Aoniumq. effundere ad æthera carmen.
Nam tuba terribili afflaret certamine campos,
Hetruriæ dum geſta Ducis, dum facta tuorum
Aequarem numeris, rapidaſq. in prælia bigas
Parte alia, extollunt veſtros quæ in tanta Penates.
Quos Parcæ metuere omnes, & triſtia fata.
Poſt multos rerum euentus, varioſq. labores.
At genitor, cui dextra potens in prælia torſit,
Nec ſolitum robur didicit mutare ſenectus,
Lege data, & populo inſtructo, ſua præmia regni
Inſtituit præbere viris probitate coruſcis.
Tanta fuit recti clementia, tantaq. puræ
Iuſtitiæ integritas, animiq. inſignia geſta.
Sed tu qui greſſum expectas me ferre propinquum,
Lætitia exulta, & iam gaudia plurima carpe,
Quo non eſt inter celebratos orbis alumnos
Præcipuus, ſeu Chloris amat, ſeu purpura veſtit.
Quem mater dedit in lucem in conualle virenti

Qua currit gelidus vndis bacchantibus Arnus.
Et te ſollicito puerum reuocauit ab amne,
Atq. inter Pictas vna cum patre reduxit.
Quem reditus memorem mors intempeſta peremit,
Fatidica comitante lyra, lachrymate frequenter
Pictarum Nymphæ, ſimul & virtute priores.
Functus erat nam, cui celſos afflarat honores
Iuppiter, & dederat magnum ſub corpore robur.
Qui velut Oceanò ſurgit cum Phæbus in altum,
Serta caput circum aurato radiabat amictu.
Et Marte indomitus, quoties in bella vocatus,
Tutatus patriam eſt, collatis fortiter armis.
Hoſpicio cuius Reges, ſemperq. fuerunt
Victrices Aquilæ, æternum ſua regna tuentes.
Exue triſtitiam Fernande, haud vltimus inter
Præſtantes animi virtute, & origine gentes.
Si Coſmum ſenio affectum lachrimabile fatum
Abſtulit, vlla nec hoc potuit vitare facultas,
Certa dies aderat, quam ſic ſua fata ferebant.
Tu tamen interea fontes inuiſere ruris,
Telluriſq. comas ſub primæ tempora lucis.
Lætitia, (Coſmo moriente) exultat Olympus.

Proſa quæ legitur retrogrado
a contrario ſenſu.

Conſiderandum eſt optime, quod iſtius naturæ viros alit bonitas, atq. fidei conſtantia: nec ſtudiis decertare honeſtiſsimis prouocatos, inuidiæ liuor carpit eoſdem.

Qui-

Quidem ordinata recti tramitis ſerie, ſe muniunt, atq. coronant, nec ſeparant inter ſe ſuas voluntates: Nempe naturalis illius queſtionis memoria cumulata non diffidunt, ſed confidunt virtute adinuicem: nulla fortuna aduerſari debet iis; ſed diu ſedere, nec in cathedra paruo tempore durare poßibile eſt, quod clarißimo patet auditu, profecto viderunt, atq. perlegerunt læto vultu queſtionum titulos, atq. materiam, neq. nomen mittentis oderunt, virtutis amænitate non ignoranter viuere delectatos, vnde ſuſceperunt concluſiones paribus votis, non facto aliquo tumultu omnium, meæ requiſitionis aperta cauſa, pariter & aduentus, aſſertionibus aſſerentium aliter omißis.

In Tumulo Maxentij Rondonis Melphitani.

M*Axentius Rondonus Patritius Melphitanus, vita, & moribus ingenuus, legum interpres, Melphiæ vitam degens, ægritudine ſuperueniente, vt vita viueret, vitam cum morte mutauit.*

Hieronymi de Principe ad Auctorem Diſticon.

R*Oma Deas, Regnumq. viros, fert Mantua vates*
Subtile ingenium Melphia ſola parit.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Poemata Fœlicis Faciutæ Melphitani approbamus, & licentiam imprimendi cõcedimus. Die 15. Nouembris 1575.

Frater Franciſcus de Piſis Generalis Inquiſitor Dominij Florentini.



FLORENTIAE,
In Officina Georgij Mareſcoti.
1576.